LAMINII
THEOLOGI ARGIVI
AD
THADDAEUM
S. R. IMPERII
COMITEM DE TRAUTMANSDORF
CONTRA LIBRUM
De Tolerantia Ecclesiastica & Civili
EPISTOLÆ TRES.



PERUSIÆ *Superiorum permissu.*

Prostant Romæ apud Joannem Zempel & Bouchard & Gravier.

Quæ obtusio intelligentiæ est ? Quæ cordis hebetudo ? Quæ oblivio spei ? Quæ mors scelerum ? Quod odium veritatis ? *In Damnatorum favorem, Dei amorem transducunt*. Hilar. Pictav. epist. ad Constant. August.

EPISTOLA I.

De nonnullis, quæ tam ex Historia, quam ex Patribus, vel falso asseruntur, vel adulterantur.

I. PErjucunda mihi fuere colloquia tua, Thaddæe mi amantissime, sed quod in vario sermone qui nobis incidit paucos ante menses, promiseram tibi, ecce nunc omnibus palam facere aggressus sum errores, qui reperiuntur in Libro de Tolerantia Ticini edito nomine tuo. Non me latet, adolescens præclarissime, quod effertur per Ephemerides *Florentinas Seculi* 18. (1) quæ Annales Ecclesiastici perperam inscribuntur; te nimirum, posthabitis Romanis præceptoribus olim tuis, nova existimatione ac reverentia motum erga Tamburinum & Zolam, quorum præceptis istitutisque Theologiæ modo frueris in Ticinensi Academia, tuum commodasse nomen Libro de Tolerantia, quem ipsi conscripserunt. Ast quid quid sit de hoc, quemadmodum dolet videre te optimæ spei juvenem causa tam mala implicatum, sic recreat me indoles illa tua, qua optime cum præditus sis, non vales veritati resistere: quæ, ut scis, licet nullum patronum, aut defensorem obtineret, tamen per se ipsa defenderetur.

II. Ecquis enim non ægre ferat videre te rumusculos aucupari hominum imperitorum, totque falsitates jactantem, quot vix quisquam numerare possit? Verum quemadmodum tam multa nihil forsitan mali suspicans, adoptasti, ita ubi vel falsa, vel adulterata esse

(1) N.47. 19. Novembre 1784. Artic. *Bassano*.

esse cognosces, plane confido illa te ingenue rejecturum. Non agam tecum de doctrinis, quas tibi cum Romæ degeres comparaveras, ne uti quidem soletis, tu novique tui Institutores, plus æquo me Romanis addictum esse vociferemini. Eas ego quæ Orthodoxorum omnium communes sunt veritates, quasque vos inaniter oppugnatis demonstrabo. Neque vero in omnia, quæ sunt in opusculo tuo notatu digna animadvertam. (Non enim est otium); sed in aliqua solum quæ longius a vero distant, quæque in Romanam Ecclesiam, in Summos Pontifices eximia sanctitate & doctrina prædítos, in Corum episcoporum maxime occidentalium, universamque Occidentis Ecclesiam, a te vel a tuis falso & contumeliose jaciuntur. Veruntamen hoc unum scias oportet, epistolas meas non ideo ad te missas, quia opus de Tolerantia quasi tuum sit habitum vel habendum, sed quia tuo nomine est prolatum in medium. Quas graviter si patiere in veros retorqueto auctores. Age ergo, certamen aggrediamur.

III. Ne forte miles tardus videaris Apostatam Curayerium sequutus, (1) ab Ecclesiæ fere primordiis damnare incipis Romanos Pontifices, qui in negotio celebrationis Paschatis atque Rebaptizantium avitam tuebantur doctrinam, docebantque veritatem Catholicam. Imo ut superius ascendas usque ad ætatem Apostolorum, probare niteris (2) illam tuam propositionem capite quarto prolatam, & sæpius repetitam = *Ecclesiam plura licite posse, & debere tolerare mala* =. De valore hujus propositionis nihil dicam; nam potius historice & critice, quam dogmatice loquar. De Legalibus enim quod scribis exactum vellem ad S. Augu-

(1) Histoire du Concile de Trente Preface in fin. Tom. 1. pag. XXVIII. Londr. 1736.

(2) De Toler. cap. 5. pag. 60.

S. Augustini epistolas ad Hieronymum, cujus quidem Augustini auctoritate, maxime comprimenda eorum audacia est, qui false & impudenter se discipulos Augustini jactant. Vellem etiam S. Justini Apologiam legeres, & Dialogum cum Tryphone. Forsitan non clamares pag. 60. „ *Sed videamus, qua ratione perso-* „ *nas errantes consueverit Ecclesia tractare, quoniam* „ *in gratiam earum vel ipsos errores non semel tolera-* „ *vit* „. Selectis ergo seu potius excogitatis id probas exemplis, vel maxime eorum, qui in exordio Ecclesiæ tolerati fuerunt, quamquam Legalium observantia fuerint nimis detenti. Sed mira confusio! Primo enim confundis Legalium observantiam cum istiusmodi observantiæ fine fideque; ac insuper Legalium usum supponis quomodocunque adhibitum, errorem in fide omnino esse. Quapropter clamitare non desinis *pag. 61. agi de re gravissima cum ipsa religionis Christianæ natura conjuncta, ut constat ex epistolis Pauli ad Galatas*, & ex edito illo unanimi Apostolorum sententia Decreto = *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris præter hæc necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

IV. Existimas ergo Legalium usum errorem in fide omnino fuisse, nec non post illam Apostolicam Definitionem a Sancto Luca Divinitus relatam, omnes quibus ille sobrie permittebatur usus, a fide aberrasse, tamquam falso crediderint Moseas illas Cæremonias, etiam post mortem Christi ad salutem consequendam fuisse necessarias, ac propterea observandas. Sed longe hinc aberras a veritate. Nunquam enim Paulus, nunquam Apostoli vel Ecclesia Legalitates uti Legalitates damnarunt, quas e contrario in aliquo habuerunt honore. Hinc est quod Apostoli tolerarunt quidem, fal-

va fide, usum Legalium, sed nunquam tolerarunt errorem credentium esse necessarias ad salutem. Etenim hunc una cum suis molitoribus illico damnavere. Siquidem patet unicuique ejusmodi tolerantiæ finis, maxime vero legentibus Augustinum (1). Nam primus auctor cæremoniarum, de quibus habetur sermo, fuerat Moyses Judæorum sanctissimus Legislator, quem vel ipse Christus laudaverat. Ergo Apostoli, Fide in tuto posita, ac de ipsa bene doctis Judæis Gentilibusque ad Christum conversis; in Christo videlicet ac per Christum solum cunctis sperandam esse salutem; contra vero circumcisionem atque præputium nihil valere & nihil esse; permiserunt quidem ut tanto Institutori grati animi recordationem, & reverentiam ostenderent, ne viderentur eas veluti malas damnare, Ethnicorum coæquare superstitionibus, ac Divinitus inspiratum auctorem odio forsitan prosequi atque irreverentia (2).

V. Falso igitur asseris (*pag. 62.*) quod *Paulus atque ceteri Apostoli super hoc conniventia usi sint adversus fratres errantes*. Nam quæ a te conniventiæ nomine vocatur, vel tibi conniventia esse non potest, quia in re haud mala versatur; vel si conniventia dicenda est, nunquam extitit omnino; cum ea nunquam usi sint Apostoli erga Cerinthianos, qui revera circa Fidem errabant, putantes cæremonias Moseas omnino esse observandas ad salutem consequendam. Noli ergo homines cum hominibus confundere, neque cum re non damnata damnatam. Etenim facilius videbis non conniventia usos fuisse Apostolos erga errores vel errantes, sed ut ad viam veritatis reducerent, adhibita prius humanitate, caritateque Christiana, cum ipsis erro-

(1) Augus. ep. 82. alias 19. ad Hieron.

(2) Vid. August. ibid.

erroribus etiam errantes haud tardo anathemate percussisse. Quod est Ecclesiæ ultimum intolerantiæ argumentum.

VI. Quid ergo damnas Victorem Papam, virum sanctitate præstantem? Quasi non conservasset spiritum Ecclesiæ, quum noluisset Asiaticos celebrare Pascha more Judæorum, Luna scilicet XIV. Martii, eosdemque excommunicasset? Quid damnas tu qui sæpius magnificis verbis extollis Tamburinianam Dissertationem *de summa Catholicæ de gratia Christi doctrinæ præstantia ac necessitate*? Tu qui usus es Florentina Editione, in qua sub nomine Pauli Delmontii fateris Tamburinum ipsum adnotationes illas adjunxisse, quæ ibidem leguntur? Audi quomodo tu cum Tamburino ex diametro pugnas, nisi dicas Tamburinum ipsum cum Tamburino pugnare? In laudata enim Dissertatione Victorem Papam summopere laudavit his verbis „ *Sic etiam in Quartadecimanorum causa traditionis* „ *Apostolicæ Vindex extitit Sanctus Victor Papa, licet* „ *a ferenda excommunicatione abstinuerit, nec res ul-* „ *timo decisa fuerit, nisi in Concilio Nicæno* (1). En „ Victor idem, qui ut ais (*pag.* 67. 68.) *Zelo abrep-* „ *tus sub excommunicationis pœna Asiaticos cohiben-* „ *dos esse putavit... quique oblitus Apostolicæ lenita-* „ *tis... jecit fulmen excommunicationis, quo tam in-* „ *signes ecclesias a sui communione sejunxit* „. Non cognoscis in contradictione mendacium?

VII. Sed hæc omnia donentur immemori scriptorum ingenio. Utinam pari venia possem remittere quæ sub pagina una (67.) pluribus involvis contradictionibus? Concedis enim „ *omnes episcopos tam Orien-* „ *tis, quam Occidentis in eam* (Victoris) *conspirasse* „ *sententiam; atque eamdem Conciliorum fuisse. Qua-* „ *re*

(1) Tambur. de Grat. Chris. cap. 4. n. 12. Not. 1. pag. 47.

Acacium, Vitalis & Miseni, qui e custodia producti, Constantinopoli cum Acacio & Petro Moggo communicarunt? Quid taces? Siquidem non taceres, nisi scires falsam illam moderationem, & culpabilem conniventiam, veluti prævaricationem ac perditæ fidei crimen damnatum fuisse ab universa Ecclesia, & præ ceteris a Constantinopolitana plebe orthodoxa, & ab episcopis Ægyptiis, Dardanis, Illyricis, Africanis, Italis, Gallis, & Hispanis. Inter quos omnes erant permulti doctrina & sanctitate conspicui, ac præsertim in Italia, Gallia, & Africa (1). Verum sanctos non curas, nisi si qui sint judicio tuo, qui faveant hæreticis atque schismaticis. Itaque dum tantam sollicitudinem ostendis, ut nomen Acacii, qui una cum hæreticis persequebatur Catholicos, in diptychis Ecclesiæ tranquillissime remaneret inscriptum, tu ex albo sanctorum, quos universa colit Ecclesia, expunxisti veneranda nomina Romanorum Pontificum Gelasii, Symmachi, & Hormisdæ, qui non solum a te sancti nunquam dicuntur, sed contra per summam injuriam describuntur quemadmodum destituti spiritu Ecclesiæ, ita libidine dominandi in Cleris, pertinacia, duritie, superbia, supercilio, aliisque criminibus inquinati.

XVII. Verum enimvero clamant contra te omnes Catholici Scriptores, & clamat Ecclesia Universa. Audi Tillemontium „ Durant que Simplice travailloit „ pour la paix de l'Eglise, Acace achevoit de la ruiner, en pretendant unir J. C. avec Belial „ (2). Et Natalis Alexander „ vides, ait, summam Sedis Apostolicæ erga Acacium patientiam & mansuetudinem, „ in quem statim non animadvertit, sed variis per „ triennium commonuit literis, ut ab hæreticorum „ com-

(1) Vid. Tillem. in Acac. Artic. 34. 35. 36. 37. & 38.
(2) Tillem. in Acac. artic. 24.

„ communione recederet; deinde missa legatione ad „ officium revocare studuit. Vides Acacii contumaciam, qui nec Romanum Pontificem suis responsis „ dignatus est, *nec ad Sedis Apostolicæ tribunal canonice vocatus* sistere se voluit, aut saltem per Legatos respondere. Vides Acacium communionis initæ cum hæreticis manifestis convictum reum,& violatæ Legationis Apostolicæ. Vides Romanos Pontifices Acacium damnantes Synodi Chalcedonensis constituta, quibus non Eutyches tantum & Dioscorus, sed & eorum sectatores, & sectatorum communicatores fautoresque damnati sunt,executioni mandasse *pro jure & officio Primatus*. Æquissimam igitur Pontificum Romanorum in Acacium sententiam „ nemo non dixerit (1). Hæc Natalis Alexander, qui totus est in Acacio ab hæresi purgando.

XVIII. Sed tu eo longius progrederis, ut ab omni veluti crimine & reatu Acacium excusare videris; contra vero iniquissime damnas Romanos Pontifices firmiter urgentes, ut ipsius nomen eraderetur e diptychis. Summa tamen injuria; nam quum Acacii depositio sit omnibus justissima, quomodo ergo nomen ipsius retinendum erat in diptychis, tanquam fuisset injuste depositus? Et quomodo inter Constantinopolitanos Episcopos habendus erat æque ac in pace & communione obivisset Ecclesiæ? Qui ergo tantam moderationem prædicas & conniventiam erga hæresim & hæreticos, ut unius Acacii nominis caussa existimes, Romanos suam durius negasse communionem Orientalibus, audi Sanctum Gelasium Papam de nomine illius, ac de Petro Moggo loquentem. „ Cur ergo per Petri „ & Acacii nomina rursus inimica sepes intexitur, „ quam

(1) Natal. Alex. Hist. Eccles. Sæcul. 5. Diss. 19. Vid. Liberat. in Breviar. cap. 17. & 18.

„ quam semel Christi crux, mors, & sanguis destru-
„ xit, solvit, & evertit? Non ergo dividat eos inter-
„ positum Petri & Acacii nomen, quos tanti mediato-
„ ris pretiosus sanguis univit „ (1). Cur ergo tam vehementer displicet in Romanis Pontificibus, & in Ecclesia Occidentali universa, quod non displicet in Orientalibus? Cur priores damnas, qui caussam totius Ecclesiæ, & tot episcoporum atque Patriarcharum, pro fide pugnantium agebant, contra vero extollis spiritum ac virtutem Orientalium, qui vel hæretici erant, vel defensores hæreticorum?

XIX. Dolet quod Romani Pontifices puriorem fidem & disciplinam Ecclesię, onere & officio Primatus vindicaverint, & non dolet quod Orientales scindere maluerint Ecclesiam, quam impiorum hominum nomina a diptychis eradere? Non ne manifeste patet Orientalium magis retulisse nomina hæreticorum, quam Romana communio, & unitas Ecclesiæ Universæ? Non ergo Romanorum Pontificum durities mala gravissima in Oriente peperit, quæ firmitas Apostolica sanavit. Mala quidem peperit, non Romanorum sævitia, ut clamitas, sed nonnullorum Episcoporum, atque Imperatorum Orientalium perfidia, quibus defuit omnino Spiritus Ecclesiæ.

XX. Quamobrem Orientalis Ecclesiæ apologiam frustra contra Romanam fingis & Occidentalem; nam alteri cupiens per fas nefasque servire, ut alteram deprimas, revera damnas utramque, & Ecclesiæ Universæ notam inuris infamiæ. De Romana enim afferis, quod durante schismate Acaciano, spiritus Christi non se prodiderit in ipsa, quandoquidem acriter illa contendens, ut e diptychis eraderetur nomen Acacii, plena fuit sęvitia, superbia, duritie, & supercilio. Con-

(1) Gelas. Pap. Tractat. seu epist. 14. Concil. tom. 4. col. 1216.

tra vero affirmas Orientalem pro Acacio fortiter pugnantem, ſpiritum habuiſſe qui defuit Occidentali; quoniam plena extitit fortitudine, conniventia, & moderatione erga hęreſim & hæreticos. Verum poſt annos ſex & triginta a ſchiſmate incœpto, moderatio iſta ceſſavit, cum prævaluerit Eccleſia Romana, quę legem impoſuit Orientalibus, & pacis conditiones præſcripſit. Illis enim probatis, eraſoque nomine Acacii aliorumque, pax firmata fuit inter utramque eccleſiam, atque ſchiſma extinctum. Itaque non a ſolis Romanis & Occidentalibus, ſed ab Orientalibus etiam comprobata fuerunt omnia, quæ a ſummis Pontificibus peracta fuerant contra Acacium (1). Ideoque ſi vera eſſent quæ nugaris, ſpiritus Chriſti qui primum defuit Romanæ, poſtea defuiſſet etiam Orientalibus, & Eccleſiæ Univerſæ.

XXI. „ Confirmantur hæc omnia (ait Natalis Alexander) ex conſenſu Conſtantinopolitanæ, & totius „ Orientalis Eccleſiæ, quæ ſententiæ a Romanis Pontificibus in Acacium latæ tandem ſubſcripſit, & libello quem Legati Hormiſdæ Pontificis Romani offerebant, cum pax inter utramque eccleſiam conciliata „ eſt. Joanni autem Conſtantinopolitano, & aliis epiſcopis qui memorato libello ſubſcripſere, perſuaſum „ erat Acacium ea omnia admiſiſſe crimina, propter „ quæ ſententiam in eum tulerat Apoſtolica Sedes... „ Ex his colligitur Eccleſiam Orientalem agnoviſſe „ tandem, ſententiam a Romanis Pontificibus latam „ adverſus Acacium æquiſſimam eſſe, ipſumque damnaſſe poſt mortem, ac nomen illius expunxiſſe ex „ diptychis „ (2).

XXII. Optima ergo ſunt blandimenta, optima eſt dul-

(1) Vid. Tillem. in Acac. Artic. 38.
(2) Natal. Alex. Diff. citat.

,, ti ragioni de' suoi predecessori, e usar quel rigo-
,, re,che non aveano essi usato,poichè Blasto Sacerdo-
,, te della Chiesa Romana avea fondato il suo scisma
,, particolarmente sopra questa osservanza, per modo
,, che divenuta essendo dannosa, pareva che non si
,, dovesse più comportare (1) ,, .

IX. Sed tot Episcoporum Conventus, totque Concilia, Romanum, Gallicanum, Achaicum, Ponticum, Palæstinum contra Episcopos Minoris Asiæ, Victoris ætate celebrata satis ostendunt eorum pertinaciam, cum universam commovisset Ecclesiam, refringendam esse omnino. Maxime vero cum dubitandi ratio suppeteret, quin ageretur de pura disciplina, sed Asiaticorum errores æque ac in Blasto & Montani sectatoribus Judaismum redolerent, Fidemque respicerent (2). Et revera *Pravitatem erroris* vocant Episcopi Palæstini (3). Quare non solus Victor tunc temporis Veritatem contra Asiaticos tuebatur, *sed omnes*, ut ait Eusebius, *uno consensu Ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt; ne videlicet ullo alio, quam Dominico die, mysterium resurrectionis Domini unquam celebretur* (4). Quare Asiatici, damnato pristino errore, etiam ante Concilium Nicenum, saniorem sententiam amplexi sunt (5). Victoris autem pastoralis sollicitudo & vigilantia ab universo mundo commendatur, & ab ipsamet Ecclesia Ultrajectensi, quam ipse tot laudibus extollis (6). His igitur cognitis, cur potius non carpis Asiaticos illos, quam Victo-

(1) Fleur. Hist. Eccles. lib.4. §.45. edit. Ital. Senen.
(2) Vid. Euseb. Hist. Ec. lib.5. cap.23. & seq. edit. Ruf.
(3) Euseb. ibid. c.25. edit. Christophors.
(4) Euseb. ibid. cap.23. edit. Vales.
(5) Vid. Vales. in Not. ibid. ad Euseb.
(6) Acta Secund. Synod. an. 1763. Relat. 3. de Sum. Pontif. Primatu n. 6.

Victorem Papam virum sanctitate illustrem, una cum universa tam Orientis, quam Occidentis Ecclesia, quæ nonnullis exceptis episcopis, æque ac Victor ira æstuabat in pertinaces? Male se res habet, cum quod veritate effici debet, id tentatur mendacio.

X. Quippe qui novus auctor non erubescis in re tam severa gravissimi historici Eusebii, aliorumque adulterata proferre testimonia. Pagina enim *69.* Eusebio tribuis hæc verba uti reperta in sua Ecclesiastica Historia lib.5. c.24. contra S. Papam Victorem „ *Fuit* „ *condemnata hæc agendi ratio ab Episcopis* „ Similia adscribis Hieronymo; duriora vero Socrati atque Nicephoro. Sed apud Eusebium versionibus simul collatis Rufini, Cristophorsoni, Joannis Dadræi, & Valesii, non alia verba leguntur quam sequentia „ *Verum hæc non omnibus placebant Episcopis* „ Seu = Ceteris Episcopis minus placebant =. Non aliter legunt Natalis Alexander, & hæreticus homo Joannes Clericus (1). Sed fusius explicat S.Hieronymus, qui (absit injuria verbo) de mendacio te tuosque arguit severius. En quomodo in vita S.Irenæi paucis totam narrat Historiam „ Feruntur ejus (Irenæi) „ & aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus *commonet eum* „ *non facile debere unitatem Collegii scindere*. Siquidem Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui „ qui a XIV. luna cum Judæis Pascha celebrabant, „ damnandos crediderat. In qua sententia etiam ii, „ qui discrepabant ab illis, *Victori non dederunt manus* (2).

XI. Nunc vero audiamus quæ Socrati & Nicephoro adjudicas. Etenim asseris historicos illos scripsisse quod

(1) Natal. Alex. Secul.2. Diss.5. artic.5. Edit. Paris. Tom.3. p.373. Clericus Hist.Ecclesf.duor.primor. Secul.sub. an.196.§.7.

(2) Hieron. de Script. Eccles. in Vit. S.Iren.

quod Irenæus *acriorem ejus* (Victoris) *impetum*, *facinus tam calidum graviter perstrinxit*. Protulit verba Socrates, sed non intermedia *Facinus tam calidum*, quæ ibidem novissima excogitasti. Nicephorus vero non item; qui hujus generis similia neque a longe somniavit (1). De Victore satis; breviter dicamus de S. Stephano, quandoquidem veritas multis verbis non eget. In caussa enim rebaptizantium idem Tamburinns, quem *egregium virum* appellas in illa sua Dissertatione superius citata, his verbis Sanctum Stephanum laudaverat. „ Et in causa Rebaptizantium *avitam doctri-* „ *nam* S. Stephanus Papa. etiam ante propugnavit, „ quam per plenarium Concilium solidaretur „. Scripserat hæc ad illam exemplis confirmandam propositionem ex Augustino depromptam ep. 55. = *Ecclesia Dei inter paleam, multaque Zizania constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit* = Quod idem sonat ac dicere Ecclesiam tolerare sæpius errantes, ut suavitate doctrinæ, Caritateque Christiana revocet ad viam vitæ, sed nunquam tolerare errores, cum nec approbentur, nec taceantur, neque fiant ab ipsa.

XII. Tu vero nunc mutato consilio adhibes idem exemplum, ut Stephanum Papam virum & *egregium, & sanctum* redarguas uti superbum, in Ecclesiæ negotio peragendo precipitem, Evangelica mansuetudine alienum, pacis Christianæ violatorem, atque contra spiritum Ecclesiæ, & suæ unitatis jura peccantem. Hæc omnia corroborare existimas testimonio ipsius Augustini, quem citas pag. 74. tanquam in libro *de unico Baptismo* cap. 25. dicentis = *Stephanum paulo commotiorem censisse excommunicandos esse Rebaptizantes* =

(1) Vid. Niceph. Hist. Eccles. lib. 4. c. 4.

zantes = Post Augustinum sententiæ tuæ suffragatores advocas Firmilianum, Cyprianum, & Dionysium Alexandrinum. Cum pace tua dicam. Augustinum inconsiderate citasti, quandoque memoras caput 25. libri *de unico Baptismo*, qui integre constat capitibus decem & octo, quique laudatis verbis omnino caret.

XIII. Habet quidem similia S. Doctor in libro 5. contra Donatistas cap. 25. cum dicit = *Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignetur* =. Quæ verba consonant omnino cum celeberrima Nazianzeni sententia dicentis = *Habet quoque Spiritus mansuetudinis & Caritatis suam vehementiam, suam iracundiam* = (1). Legas quæso Augustinum, & ab accusando Stephano magis alienum, quam in defendendo Cypriano implicatum ubique reperies. Ait enim S. Doctor citato loco „ Jam illa quæ in Stephanum irritatus (Cyprianus) effudit retractare nolo, quia „ & non opus est (*Tibi consilium cape Thaddæe mi*). „ Eadem quippe dicuntur, quæ jam satis discussa „ sunt, & ea præterire melius est, quæ *periculum* „ *perniciosæ dissensionis habuerunt*. Stephanus autem „ & abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreti- „ cis priscam consuetudinem convellere conarentur. „ Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, „ & *sanctis charitatis visceribus largissime præditus*, „ in unitate cum eis manendum, qui diversa senti- „ rent. Ita quanvis commotius, sed tamen fraterne „ indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus „ eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos „ malum schismatis oriretur „. Hæc Augustinus, quæ Stephano satis superque sunt. Sed tu cur Magni doctoris verba retulisti amputata, ne genuino quidem loco citato?

XIV. Cy-

(1) Nazian. Orat. 2.

XIV. Cyprianum vero quid profers? Quid cum eodem Augustino *pacatissimam ejus animam* veluti per Antithesim contra Stephanum extollis? Non recordaris quod Bossuetus scripserat de hac re contra Dupinium? „ *Che S. Stefano avea diritto da agire da Superiore, come riconoscelo S. Agostino, e che non poteva esser lo stesso di S. Cipriano?* „ (1). Pacatissimam tamen fateor, sed non semper. Num pacatissima erat quando in æstu disputationis (salva præsuli sanctissimo & gloriosissimo debita reverentia) errore abreptus, vocabat S. Stephanum *avitam doctrinam propugnantem*, *hæreticorum amicum*, & *inimicum Christianorum*? Num pacatissima erat quando, ut verbis utar Facundi „ suam sententiam, scribens ad Pompejum, quanta potuit humana argumentatione defenderit, injuriose tractans eumdem Beatum Stephanum, *a quo fuerat jure* culpatus? „ (2). Idem dico de Firmiliano, qui Christianæ moderationis & Caritatis fines aliquando excessisse omnino videtur. „ Nam pacatissimum dices (ait celeberrimus Ecclesiæ Gallicanæ scriptor) cum ad Primum Ecclesiæ præsulem, qui cum totius Orbis Episcopis Apostolicam traditionem vindicabat, non pudet dicere. *Tu hæreticis omnibus pejor es?* „ (3). Contra vero quocumque te animo & cogitatione converteris, haud quidem videbis Stephanum pari mensura eos esse metitum. Quare de universo hoc negotio ipse merito laudatur a Sancto Vincentio Lirinensi, tanquam *vir sanctus & prudens, qui intelligebat nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur*(4). Deni-

(1) Vid. Bossuet Mem. contr. Biblioth. Dupin.
(2) Facund. lib. 10. c. 3.
(3) Coust. Epist. Rom. Pontif. Differt. infor. citand. cap. 7. §. 28.
(4) Vincent. Lirin. Common. cap. 9. & seq.

Denique laudant etiam Ultrajectenses tui loco superius citato.

XV. Post illos profers denique in medium Dionysium Alexandrinum, quasi litteris officiosis, & opera Dionysii tunc Romani presbyteri, sanctum Stephanum a sententia excommunicationis removere tentasset. Aniles fabulas narrare potius videris, quam de re gravi disserere. Etenim te docebit Eusebius epistolam Dionysii Alexandrini ad Dionysium Romanum, Novatianum tantum respicere, nefaria ejus dogmata, & schisma ab eo excitatum; nunquam vero de illa tua excommunicatione fuisse loquutum. (1) Illius vero de Baptismo, quæ numerabatur quarta ad eumdem Dionysium Romanum epistola, vix notitia superest; quæ tamen illa tua commenta nequaquam præsefert. Sunt præterea alia multa de re proposita, quæ Stephano Romano Pontifici summopere favent. Si ergo desideras, quod mihi non patet, adhibe Petrum Coustant Monachum S. Mauri, in dissertatione cui titulus est „ *Dissertatio, qua vera Stephani circa receptionem „ hæreticorum sententia explicatur*. = Cap. 7. ubi „ quæritur = . *An Stephanus excommunicatione per„ culserit Rebaptizantes. An severius cum viris sanctis „ se gesserit*„ (2). Cura ut legas, & non amplius rei torquebit controversia.

XVI. Sed tu qui extollere conaris spiritum tolerantiæ exemplo Cypriani & Firmiliani pugnantium contra Stephanum, quia baptismum hæreticorum defendebat, cur prius non perpendisti quo quis eorum duceretur spiritu erga hæreticos, tolerantiæ scilicet, an intolerantiæ? Num tolerantior tibi est qui hæreticos eo abhorret, ut existimet ab iis valide ne baptizari

(1) Vid. Euseb. Hist. Eccles. lib. 7. cap. 8. Edit. Vales.

(2) Coust. Epist. Rom. Pontif. pag. 249. & seq. Vid. etiam pag. 263. & seq.

zari quidem posse, quam qui Evangelica veritate tuetur hæreticorum, catholicorumque baptismum ejusdem esse virtutis & pretii? Non ergo tolerantiorem sese exhibet Stephanus, quam Cyprianus & Firmilianus? Nonne propter hoc vocabant ipsi sanctum Papam hæreticorum amicum? Igitur si heroice amas eos laudare qui te damnant, noli id facere contra rei veritatem.

XVII. Verum non Stephanum tantum carpis atque Victorem; sed Romanorum Pontificum inimicus perpetuus, gradum faciens ad seculum quartum, quo diris, ut ais pag. 78. tempestatibus Arianorum jactata diu fuit Ecclesia, Damasum Papam, *virum*, ait Theodoretus, *sanctitate vitæ conspicuum, & pro Apostolica doctrina nihil non dicere, atque agere paratum* (1), continuo lacerare contendis. Ut autem ad propositum devenias, incipis ab historia Antiocheni Schismatis, cui dederunt occasionem Meletius & Paulinus, duo viri morum sanctitate conspicui, ambo ad illius Urbis episcopatum evecti, alter ab Arianis, a Catholicis alter. „ Meletii partes (sunt tua verba) tuebantur sanctissimi viri Flavianus, Chrysostomus, Eusebius „ Samosatensis, Gregorius Nazianzenus, aliique O- „ rientis Episcopi. Partes vere Paulini susceperant „ Ss. Hieronymus, Athanasius, Epiphanius, Dama- „ sus Papa, Ambrosius, ceterique antistites occiden- „ tis. Utraque pars sese a communione sejunxerat: „ nam orientales non communicabant cum Paulino, „ neque cum Meletio occidentales; sese accusabant „ ad invicem &c. „ Hucusque tu vel rerum narrator, quas ignoras, vel eorum imitator Græcorum, de quibus Juvenalem scripsisse noscis Sat. 1. = *Et quidquid Græcia mendax audet in Historia.*

XVIII. Pri-

(1) Theodoret. Hist. Ec. lib. 5. c. 2.

XVIII. Primo enim fallis quia confundis Flavianum Antiochenum, cum Flaviano Constantinopolitano Sanctissimo præsule, ad quem S. Leo magnus post octoginta circiter annos, celeberrimam scripsit epistolam contra hæresim Eutichianam. Hinc intempestive & Chrysostomum misces, quem dissonus concedis pag. 91. episcopum fuisse postea renuntiatum, mortuis quippe Meletio & Paulino, & finita jam lite. Præterea fallis in texenda etiam historia, quia nullo modo præterire poteras illud Magistri Militum Saporis judicium, quo Arianorum Ecclesias Meletio adjudicaverat; quoniam ipse secundum legem Gratiani Augusti, quæ revocabat eos, qui fuerant in exilium ejecti, rursusque præcipiebat ædes sacras iis tradi, qui cum Sancto Damaso Papa communicarent, demonstrabat sibi de tali communione jure gloriandum, quandoquidem Damasi doctrinam profitebatur, ejusque Decreto subscripserat (1). Eadem communione merito gloriabatur & Paulinus, sed a Flaviano Antiochenæ Ecclesiæ presbytero, qui partes tuebatur Meletii vehementer pressus, ut Damasi Papæ doctrinam de tribus hypostasibus publice profiteretur, involuntaria equivocatione vocum, etiam cum fide recta suæ Fidei suspicionem inussit; ac proinde Meletio ecclesiæ illæ fuerunt adjudicatæ.

XIX. Hinc orta est dissensio quemadmodum Meletium inter & Paulinum, ita etiam inter eorum asseclas (2): quæ tamen inter viros sanctos pacifice composita, ac jurejurando firmata, duratura fuisset, nisi Luciferiani turbassent. Quare mortuo Meletio „ qui „ ejusdem partem fuerant sequuti (ait Socrates) Pau„ lino parere abnuerunt; sed Flavianum in locum „ Mele-

(1) Theodoret. ibid.

(2) Theodoret. loc. cit. cap. 3. Vid. ibid. adnotat. Vales. Socrat. Hist. Ec. lib. 5. cap. 3. & 5.

„ Meletii ſubrogare fecerunt. Iterum ergo populus
„ duas in partes diſciſſus eſt. Ad hunc modum Antio-
„ chenſis Eccleſia, *non quidem propter fidem*, *ſed epi-*
„ *ſcoporum cauſſa*, *inter ſe diviſa eſt* (1). Flavianus
„ ordinatus eſt contra jurisjurandi fidem, (ſunt ver-
„ ba Sozomeni) quare plurimi ſe a communione Fla-
„ viani ſejunxerant, ac ſeorſum ſub Paulino collectas
„ celebrabant. Sed & Sacerdotes ipſi hujus rei cauſ-
„ ſa inter ſe diffidebant. Et Ægyptii quidem cum
„ Arabicis & Cypriis, Paulini tanquam injuria affe-
„ cti, vicem dolebant. Syri vero & Paleſtini, ac
„ Phœnices, & ex Armeniis, Cappadocibus, Galatis
„ ac Ponticis plerique Flaviani partes favebant. Ve-
„ rum Epiſcopus Romanus, & reliqui Occidentalium
„ partium Sacerdotes non mediocriter indignabantur.
„ Et ad Paulinum quidem tamquam Epiſcopum An-
„ tiochiæ, conſuetas ſcribebant epiſtolas, quas Syno-
„ dicas appellant. Ad Flavianum vero nullas litteras
„ dabant (2).

XX. En tibi, mi Thaddæe, ſchiſmatis Antiocheni tota compendio hiſtoria, non animo adinventa & excogitata, ſed ex tabulis excerpta; unde latiſſime patet, falſo te aſſerere *pag.* 80. controverſiam hujuſmodi eo eſſe deductam, ut *utraque pars* (Epiſcoporum) *orientalium ſcilicet & occidentalium ſeſe a communione ſejunxerit*, propter illam tuam ratiunculam quam affers; quia ſcilicet *Orientales non communicabant cum Paulino*, *neque cum Meletio Occidentales*. Mirabile argumentum! Quaſi rebus in his axioma valeret de duorum in uno tertio convenientia! Pari falſitate aſſeris pag. 86. Sanctum Baſilium ſcripſiſſe ad Damaſum Papam ut Occidentales emolliret, eoſque ad communionem adduceret Orientalium, cum inter ipſos in vincu-

(1) Socrat. lib. 5. cit. cap. 9.
(2) Sozom. lib. 7. cap. 11. Vid. & cap. 3.

lo Unitatis & pacis disputaretur tantummodo, cui potiori jure danda esset episcopalis communio, seu quis contendentium esset Episcopus habendus Antiochiæ. Et quamquam disputantes viro uni Episcopo Antiocheno non æque communicarent, tamen erant inter sese & catholicæ communionis vinculo, & amicitia conjuncti.

XXI. Quid ergo carpis præstantissimum Theologum Petrum Ballerinum, qui nihil asseruit in hoc, quod non ex fontibus Ecclesiasticæ historiæ deprompserit; nec de necessitate communionis cum Romana Sede aliquid novi, ut *Labentem opinionem* quoad Sedis illius prerogativas *tueretur*, excogitavit contra fidem historiæ, quandoquidem nihil statuit quod antea non asseruerit Natalis Alexander, *opinionis*, quam tu *Labentem* vocas, acerrimus impugnator? „ Sufficit ad conserva-
„ tionem Ecclesiasticæ Unitatis (sic ipse) mediata
„ cum Romano Pontifice, aut cum aliis Episcopis
„ Orthodoxis communio, ut scilicet cum iis quis
„ communicet, qui Romano Pontifici conjuncti sunt,
„ & litteras ab eo pacificas accipiunt, & vicissim
„ isti cum illo communicent, qui communicatorias
„ a Romano, aut a quovis alio Episcopo epistolas
„ non accipit. Hæc enim quamvis mediata dumta-
„ xat communio, argumento est Romanum Ponti-
„ ficem ab illorum communione divulsum penitus
„ non esse, ad quos propter quasdam œconomiæ ra-
„ tiones communicatorias non scribere decrevit epi-
„ stolas. Nam si illos ut schismaticos haberet, &
„ illos qui ipsis communione conjuncti sunt, ut schis-
„ maticorum fautores execraretur. De illis par ra-
„ tio est, qui cum Romano Episcopo immediate
„ communionem non fovent, sed cum episcopis ca-
„ tholicis ipsi conjunctis. Illi enimvero Romani
„ Pontificis communionem non aversantur, alioquin
„ & illo-

„ & illorum communionem aversarentur, qui Romano Pontifici adunati sunt. Non sunt igitur a communi Radice & Matrice Ecclesiæ Catholicæ avulsi; proindeque schismatici censeri non debent. Porro Meletius mediatam cum Romano Pontifice, omnibusque Occidentis ecclesiis, & cum viris Sanctissimis Athanasio, Epiphanio, & Hieronymo communionem fovit, quia Basilio, Gregorio Nysæno, Gregorio Nazianzeno, aliisque Orientis Episcopis & Ecclesiis conjunctus erat, quibus cum Romano Episcopo, ceterisque Catholicis Antistibus communio intercedebat. Nec Romana Ecclesia aliæque Occidentis Meletio communionem absolute denegabant, sed solum *communionem Episcopalem*; quia ejus electionem legitimam non esse arbitrabantur, ut qui ab Ecclesiæ hostibus electus esset: at ex ignorantia veritatis Eiscopatu abdicabant virum Dei admirabilem „ (1) Sed quod plurimum interesse arbitror, id totum habetur ex Orientalium epistola, & ex eodem Basilio, cujus mirabilis sanctitas & sapientia poscit a me, ut officioso silentio cum Fleuryo præteream quæ contra Damasum Papam, cujus sanctitatem & doctrinam ignorabat, veluti desidiæ & negligentiæ reum protulit. Nam sanctus Doctor pacis amore hæstuans, totius extinguendæ discordiæ apprime cupidus, & quod verius est, occidentalium, & præsertim Romani Pontificis auctoritate, afflictæ Orientis Ecclesiæ, maxime vero Cappadoci, Episcoporum disputationibus & dira Valentis Imperatoris Ariani persecutione vexatæ, medendi impatiens, mirum non est si aliquando scripserit iratius. Et revera post longam enumerationem malorum, quæ tunc patiebatur universus Oriens, Basilius, aliique permulti Orientales Episcopi sic concludunt „ . Nobis autem præter apertum

 „ hære-

(1) Natal. Alex. Secul. 4. dissert. 34.

„ hæreticorum bellum, adhuc etiam ab illis, qui vi- „ dentur orthodoxi esse, diffidentibus videmus eccle- „ sias ad extremam imbecillitatem esse deductas: „ propter quæ potissimum a vobis auxilium desidera- „ mus, ut qui Apostolicam Fidem profitentur, schis- „ matis quæ excogitaverint dissolutis, deinceps au- „ thoritati ecclesiæ subijciantur, ut sanum Christi cor- „ pus fiant, omnibus membris ad integritatem reda- „ ctis &c. Epist. 69. inter epistol. Basil. ad Gall & Ital. episc. Basilius vero nomine proprio hæc scribit epi- scopis Galliæ & Italiæ. „ Persequutio nos apprehen- „ dit, fratres colendissimi, persequutionum omnium „ gravissima. Abiguntur enim pastores, ut greges „ dispergantur. Et quod omnium est durissimum, „ neque qui affliguntur, cum martyrii spe atque con- „ fidentia illatas passiones tolerant: neque plebs mar- „ tyrum loco athletas habet, ac veneratur: propte- „ rea quod Christianorum nomine tecti sunt perse- „ quutores. Unum jam crimen est quod vehementer „ punitur: si paternas quis traditiones diligenter ob- „ servet. Ob hanc caussam paternis sedibus abiguntur „ pii, & ad solitudines migrare coguntur. Nulla est „ apud Judices iniquos cani capitis reverentia... Episco- „ pi sola intercedente calumnia damnantur: & nulla „ evidenti probatione assertis ac corroboratis crimina- „ tionibus, suppliciis traduntur &c.„ (1) Et (2) ad Oc- cidentales scribit S. Doctor. „ Patrum dogmata con- „ temnuntur, Apostolicæ traditiones nullo nume- „ ro habentur, recentiorum hominum inventa in „ Ecclesiis dominantur... Pastores abiguntur, lupi „ graves introducuntur, qui Christi gregem discer- „ punt... Quare si aliqua dilectionis consolatio, si

„ quæ-

(1) Basilius ad Episc. Gall. & Ital. ep. 70. Edit. Paris. 1638. Tom. 3.

(2) Epist. 61.

„ quædam ſpiritus communio, ſi qua viſcerum miſera-
„ tio, commoveamini ad noſtrum auxilium &c., „ Epiſt. vero 52. ad S. Athanaſ. eadem profert & addit. „ Viſum eſt mihi ſcribendum eſſe epiſcopo Romæ, ut „ iis quæ hic geruntur conſideratis, *ſententiam dicat*: „ & ſiquidem aliquos illinc communi & Synodico decreto mitti difficile eſt, *ipſe Poteſtate ſua in hac „ cauſſa utens*, viros eligat, qui & itineris moleſtias „ ferre valeant, & idonei ſint ad eos, qui apud nos „ diſtorti ſunt, manſuetudine & facilitate ingenii corrigendos &c. „ (1).

XXII. Verumtamen ira ſanctorum numquam non eſt Charitate conſperſa. Quare S. Doctor crebriores litteras ſcripſit, non ut Occidentales in communionem adduceret cum Orientalibus, quemadmodum delirare videris, ſed Romani Pontificis & Occidentalium opem ſæpenumero implorabat, ut tanta auctoritate & legatione pacem Orientalium componeret, debiles recrearet, nec non Arianam perſecutionem aliquo modo compeſceret (2). Diſſenſiones & ſchiſma Eccleſiæ Antiochenæ, quod maximam vel unicam Baſilii curam apud Occidentales deſcribis, ultimum fere locum tenebat poſt ceteras graviores ſollicitudines ejuſdem. Et revera ſanctiſſimus ille præſul reſcripſit Evagrio preſbytero Antiocheno, ut ſuam excuſaret repugnantiam ſeſe interponendi in illam pacificationem, propterea quod *impoſſibile* exiſtimabat *ſuſpiciones obortas, & contradictionum offenſiones penitus amoliri... Nec ſic quidem nobis ſuaſeris* (ait) *ut ſoli conſurgamus ad emendationem, cum per Dei gratiam Epiſcopus exiſtat* (Romanus) *ad quem ante alios Eccleſiarum cura, & ſolicitudo pertineat... Neque curioſus in re aliena ſpecula-*

 cula-

(1) Vid. & epiſt. 220. quæ apud Couſt. eſt 2. int. epiſtolas Damaſi: & alia ſexcenta, quæ brevitatis cauſſa prætereo.

(2) Vid. & Tillem. in S. Baſil. Articl. 90. ad 99.

culator, delicta notavi, quibus quisque vel revera subjacet, vel dicitur vulgo subjacere ... Ad Occidentales mittere mihi prorsus videtur impossibile quid, quippe qui nullo sum instructus, ad hoc ministerium comparato (1).

XXIII. Id tamen si placet, quod Tillemontius sola assequi conjectura affirmat, fateor quidem displicuisse Basilio, Meletium, cujus recta fides pietasque satis explorate cognita, atque perspecta erat Orientalibus, apud Damasum vero & universos occidentales, veluti hæreticum & schismaticum vulgo esse traductum. Cognoscebat Basilius sanctitatem etiam Paulini, quem minus ægre ferebat magni esse apud Romanum Pontificem, ceterosque Occidentis Episcopos, sed tantum querebatur ipsos Paulinum ita honoribus & laudibus extollere, ut Meletium injuriose deprimerent, non sine dedecore & infamia maxime partis Episcoporum Orientalium, qui eum habebant Episcopum Antiochenum, & pro sua fide & pietate plurimi faciebant. Nihilominus S. Doctor scribens ad Terentianum Comitem fusius excusat æque Damasum Papam, ac reliquos Occidentis Episcopos, dicendo = *Illi enim penitus ignorant nostrarum rerum conditionem* = (2). Hæc tota videtur de Meletio in S. Damasum querela Basilii, ut suis colligitur epistolis quæ supersunt (3). Lege Basilii testimonia selecta ex ejusdem epistolis superius relata ipsas. Si vero plura desideras, consule epistolas ipsas, consule Scriptores Gallos Tillemontium, Fleuryum, & Natalem Alexandrum. Siquidem omnino evanescit, quam tot falsitatibus ambagibusque contexis, hujusmodi rei historia, infini-

(1) Basil. epist. 342. ad Evagr. Presbyt.

(2) Basil. epist. 349.

(3) Vid. Tillem. in S. Basil. artic. 120, & confer cum Artic. 113. & 114.

infinitis onusta conviciis, dicteriis atque portentis.

XXIV. Simili modo pereunt quæ exaggeras de Romanorum supercilio & sævitia. Sed utinam simul perirent argumenta imperitiæ, vel negligentiæ, quæ legentibus suppeditantur a tuo libro *de Tolerantia*. Ais enim pag. 80.= *Plures scripsit* (Basilius) *epistolas ad Patriarcham Alexandrinum, ad Romanum Episcopum, maxime vero ad Athanasium, cujus prudentia &c.*,, Quid? An Patriarcharum appellatio in usu erat tempore Athanasii? Sed fuerit. Nunquid Patriarcha Alexandrinus & Athanasius duo sunt viri, non unus? Eandem subit fortunam apud te Paulinus Episcopus Antiochenus, quem geminas; alterum scilicet, cujus partes susceperat Athanasius, uti narras pag. 79., alterum, qui post Athanasii mortem a Lucifero Calaritano fuit Antiochiæ Episcopus consecratus, prout fusius pag. 82. & 83. scribis.

XXV. Pagina vero 84. & 85. congeris ad probandum, nescio quid, plura testimonia ex epistola Alexandrinæ Synodi ad Antiochenos, duce magno Athanasio celebratæ. Sed quid extollis moderationis canones ibidem præscriptos, quasi Athanasius Antiochenos hortaretur ad pacem cum Meletianis, Romanis invitis, cunctisque occidentalibus episcopis? An ignoras ejusmodi epistolam fuisse subscriptam a nonnullis Occidentis Episcopis, Eusebio scilicet Vercellensi, & Lucifero Calaritano Sedis Apostolicæ Legatis ad Orientales, aliisque? Cur vero testimonia illa mutilata recenses? Quid illius epistolæ verba verbis commisces, eorumque ordinem turbas, ut illud primum componas testimonium quod refers, ad fucum faciendum hominibus imperitis, puerisque? Loqueris enim ,, Hanc re-
,, gulam pacis sequestris dederat Synodus Alexandri-
,, na. *Omnes*, ait illa, *qui vobiscum pacifice agere vo-*
,, *lunt, recipite, nihilque amplius ab illis exigatis, quam*

 ,, *ut-*

„ *ut exsecrentur Arianorum hæresim , & confiteantur*
„ *Sanctorum Patrum in Nicæna synodo fidem* . . *Quod*
„ *si ita fiat* , omnis apud omnes suspicio mala delebi-
„ tur,*& sola catholicæ Ecclesiæ fides pura apparebit* „.
Sic tu ore Synodi illius . Sed prætermittis in eo testimonio incommodum tibi monitum intermedium; quoniam præcipitur Paulinianis Antiochenis , quibus datur epostola, ut ad se *elicerent qui à veteri Ecclesia, vel ab Arianis redirent* , sed interim ut uni Paulino inhærerent = *Cooptantes vos interim dilecto nostro Paulino , ejusque sociis ; nihilque amplius ab illis exigatis , quam ut exsecrentur Arianorum hæresim: confiteanturque &c*. Ac deinceps universis ibidem articulis fidei annotatis , quibus opus esset a Meletianis partibus redeuntes subscribere , eosque profiteri , præcipit Synodus , *arcendos esse & aversandos , qui talem confessionem non ederent* . Postremo vero concludit = *Ceterum, cum istos tolerandos non censebitis , consuletis illis , qui recte interpetrantur & recte sentiunt , ne ulterior inter vos ulla adhibeatur disquisitio* = . Verum his omnibus missis , peto a te quid conferat Meletianum Schisma ad propositam quæstionem de Tolerantia? Agitur enim hic de substinendis hæreticis vel non tolerandis . At qui a Meletio stabant , hi certe immunes erant ab hæresi ; vel si quos non immunes dicas , istos uti vides , haudquaquam tolerandos Synodus Alexandrina præcipiebat . Redde igitur , mi Thaddæe , verba verbis , ordinemque restaura , & videbis Synodum Alexandrinam quemadmodum mutilatam nihil tibi prodesse, ita integre relatam probare quidem multa , sed contra temetipsum .

XXVI. Unicum tamen video effugium remanere ; ut scilicet afferas aliquanto apertius perfectum Tolerantismum cunctarum religionum & dogmatum, Scopum esse , quo mentem & calamum dirigis . Sed alibi
oppor-

opportunius inquiram. Nunc autem melius est tecum pergere ad terminum seculi quarti, quem imples iniquæ narrando historiam depositionis S. Joannis Chrysostomi. Et revera exemplo tanti viri omnia bene probantur. Sed cum tibi propositum sit docere, Ecclesiam sæpe tolerare non homines tantum errantes, sed in gratiam eorum etiam errores, profers in medium exemplum Chrysostomi „ qui (ut ais pag. 99.) interrogatus „ a Palladio Episcopo, quid sibi agendum esset in ea „ temporum calamitate? An scilicet communicare si„ bi fas esset cum episcopis, qui injuste Chrysostomum „ deposuerant, respondit nihil magis cavendum, quam „ divisionis periculum. Quare inquiebat: *communi„ cate quidem*, ne scindatis Ecclesiam. *Verum nolite „ subscribere &c.* „ Idem sensisse scribis sanctum Innocentium Papam, ad quem Chrysostomus confugerat. Nam, si tibi fides habeatur „ Innocentius damnavit „ quidem tamquam injustam Depositionem Chryso„ stomi; at non se voluit ab ullius communione se„ jungere, donec Synodus cogeretur, qua lis concordi „ Ecclesiæ auctoritate finiri posset „. Post hæc ita Chrysostomo rescribentem inducis = Sed quid adversus „ ista in præsenti faciemus? Necessaria est cognitio Sy„ nodi, hæc enim sola est, quæ hujusmodi tempesta„ tum motus sedare possit, omnia, quæ nunc ad fide„ lium probationem conturbata sunt, pacabuntur &c. „ Nollem te, præstantissime adolescens, deceptum decipere. Nam video te iterum iterumque mentiri in istiusmodi historia, quam uti qui lucem odit, narras de more tuo, sine ulla citatione locorum.

XXVII. Ego quidem exordiar a Palladio, quem una cum Chrysostomo pro te stare temere gloriaris. Legisti ne unquam illius Dialogum de Vita Chrysostomi? Forsitan ignoras Dialogum extitisse. Scias ergo ante alia opus est, Palladium summis laudibus ibidem extolle-

tollere Monachum Stephanum & alios, qui tormentorum vi divinitus superata, vitam potius dederunt, quam communicare cum impiis, qui deposuere Chrysostomum (1). Præterea ipse Palladius gloriatur se ab eorum communione discessisse, quibus Chrysostomus in dialogo eodem dicit *Communicate*. Et nihilominus laudatur a Diacono Theodoro his verbis = *Det tibi Dominus misericordiam in illa die invenire, quia ab hujusmodi communione discessisti* = (2). Quare Palladius idem concludit, quod Episcopi deponentes Chrysostomum ambitione sua *Schisma fecerunt* (3). Insuper Cassiodorus narrat eos, qui nolebant communicare cum Ursacio intruso in Sedem Chrysostomi, *Martyrio suscepto coronari* (4). Denique cum Ursacius idem paucis post mensibus moreretur, & qui Chrysostomum oppresserant Atticum substituerent, *excitata est*, ait Metaphrastes *magna persecutio adversus Ecclesias, & Imperatoria edicta & decreta, suggestione Attici, nullus enim pius ei volebat communicare* (5).

XXVIII. Qua ergo fronte ausus es, illa verba *Communicate quidem* ita Chrysostomo adscribere, ac si Palladio fuerint dicta ut eum hortaretur ad communionem cum impiis? Quasi Evangelicum ignoraret præceptum = *Pacem cum impiis nolite habere* =. Falso enim asseris Palladium interrogasse unquam Chrysostomum eo descripto tenore. Siquidem interrogatio illa vel nullibi legitur, vel ea tantummodo est, quæ peracta fuit ab Eulysio Apamiæ Episcopo, quamque refert idem Palladius in Dialogo sæpe laudato. Cum enim quadraginta Episcopi, qui ex variis provinciis erant

(1) Pallad. de Vita Chrysost. Dialog. ant. fin.
(2) Ibid. paul. infer.
(3) Ibid. prop. fin.
(4) Cassiod. in Vita Chrysost prop. fin.
(5) Metaphrast. in Vit. Chrys. ant. fin.

erant apud Chrysostomum congregati, flerent super populi desolationem & viduitatem Ecclesiarum, suasque vellent dimittere Ecclesias ut imminentia effugerent mala, respondit vir ille Dei „ Verum, ut dixi, ve„ stras ecclesias non dimittatis. Neque enim a me do„ ctrina Christi cæpit initium, neque item in me de„ situra est „. Atque exemplo Moysis, Davidis, Samuelis, Pauli, aliorumque multorum episcopos confortabat „ Quibus dictis Eulysius Apamiæ Bithyniæ „ Episcopus ait: Necessario si Ecclesias tenuerimus, „ communicare cogemur, atque subscribere. Ad hæc „ sanctus Joannes, communicate quidem ait, ne scin„ datis Ecclesiam, verum nolite subscribere =. Nihil „ enim mihi conscius sum &c.„ Ex his omnibus patet Chrysostomum maluisse episcopos communicare cum Ægyptiis, qui semetipsum injuriose deposuerant, quam suas Ecclesias dimittere, desolatos greges relinquere, & sua quasi desertione majus excitare incendium, & schisma in Ecclesia. Inter duo mala, ut minus eligerent consilium dedit Chrysostomus, nam si ecclesias dimitterent, rei evaderent criminis desertionis & Schismatis durioris inde nasciturі. Qui duo errores haud excusandi erant iniqua Chrysostomi depositione, quæ timebatur, & accidit.

XXIX. Fallis ergo quia tribuis Palladio quæ non sunt Palladii, Chrysostomo quæ non sunt Chrysostomi, & eo torques sententias, ut alienum sensum præseferant. Idem dicendum est de iis, quæ fide mala, ut videtur, aut demis, aut adjudicas Innocentio Romano Pontifici. Primus enim error, in quo versaris est dicere, a Sancto Innocentio verba, quæ refers dicta fuisse Chrysostomo; cum epistola, in qua verba ejusmodi continentur data sit non ad ipsum, sed ad universum Clerum & populum Constantinopolitanum. Verum parum id mea refert, quod te solius arguit negligen-

gligentiæ. Non item quod bonæ fidei. Perpende quæso Innocentii testimonium integre relatum. „ Satius „ enim fuerit (inquit) ea quæ non recte facta sunt „ condemnari, quam ea quæ contra canones acta sunt „ ullam firmitatem obtinere, fratres carissimi. Sed „ quid adversus ista in præsenti faciamus? Necessaria „ est cognitio Synodi, quam & *jam pridem congregandam esse duximus*. Ea enim sola est, quæ hujusmo„ di tempestatum motus sedare possit. Quam ut con„ sequamur, utile fuerit horum malorum medicinam a „ voluntate Dei Magni, & Christi ipsius Domini nostri „ exspectare. Omnia quæ nunc per invidiam diaboli „ ad fidelium probationem conturbata sunt, pacabun„ tur. Nihil non debemus per firmitatem fidei a Do„ mino sperare. Nam & nos *diu multumque cogitamus, quonam modo œcumenica Synodus congreganda sit*, ut turbulenti motus Dei nutu tandem conquie„ scant. (1) Porro Innocentius (ait Sozomenus) Roma„ næ Urbis Episcopus, cum sicut antea scripserat, im„ pense studeret ut Joannes restitueretur; una cum „ Episcopis qui ex Oriente Legati ad eum venerant, „ misit Episcopos quinque, & duos Ecclesiæ Roma„ næ præsbyteros ad Honorium, & Arcadium Au„ gustos, *qui Synodum ejusque celebrandæ tempus ac „ locum postularent* (2) „. Confer autem hæc duo testimonia cum illo tuo; etenim quemadmodum magni momenti adulterationem fateberis, ita opus erit concedere, non de alia Synodo Innocentium Papam ibidem esse loquutum, nisi de illa, quam ipsemet indixerat congregandam? Ideo scribit non *Quid faciemus*? ut asseris tu, quasi sine auctoritate Synodi quid facien-

(1) Innocent. Pap. epist. ad Presbyt. Diac. & Univers. Cler. & Popul. Eccles. Constantinop. cap. 3. & 4. Apud Coust. epist. 7. int. Innocent. Vide ibid. adnot. *d*.

(2) Sozom. Hist. Ec. lib. 8. cap. 28.

ciendum nesciret; sed *Quid faciamus?* Ut ostenderet animum adjunxisse ad malorum remedium convocatione Concilii. Sed tu qui tantam auctoritatem & jurisdictionem Romanorum Pontificum forsitan fastidis & odio habes, testimonium vel ab aliquo heretico vitiatum mutuatus es, vel tu ipse adulterabas, ne tibi totum argumentum destrueret.

XXX. Hactenus perpendere curavi, optime adolescens, Patrum testimonia, & Majorum exempla, quę per quatuor priora Ecclesię sæcula, ex historia te deprompsisse arbitraris ad tuum de Tolerantia Systema constituendum. Nunc vero ad seculum quintum progrediendum esset, nisi modo prohiberet angustia temporis. Verumtamen tritum reminiscere proverbium = *Quod differtur, non aufertur* =. Interim cum S. Hieronymo vehementer obsecro, ne Christus deneget tibi, *ut audias, ut intelligas, & sic loquaris* (1). Cura ut valeas.

EPISTOLA SECUNDA.

Sequitur Idem Argumentum.

I. QUum per litteras iterum tecum colloqui deberem, Thaddęe mi amantissime, statim illud in mentem venit, quod, Evangelio duce, scripsit Sanctus Hieronymus ad Paulinum = *Bonus homo de bono cordis thesauro profert ea, quæ bona sunt; & ex fructibus arbor cognoscitur* = (2). Quambrem cogitanti mihi sępenumero, & animo revolventi eas, quas tu, qui bonus es vir, cumulas calumnias in historia seculi quinti texenda, ubi tot apparent falsę criminationes, quot

(1) Hieron. epist. ad Julian. int. famil. lib. 2. epist. 21.

(2) Hieron. ad Paulin. de Instit. Monach. int. famil. lib. 2. epist. 14.

quot sunt verba, vix videor posse mihi persuadere, te rerum ejusmodi auctorem esse. Nam sive historiam inspicias, sive Patrum testimonia, sive moderationis quę vocas exempla, sive etiam doctrinam, veritati bellum indicere undique videris. Et revera si historice loqueris, mutas ad libitum sępe sępius quadrata rotundis; si ex Patribus, mutilas testimonia; si ex disputatione, erroneas falsasque doces doctrinas; si denique ex moderatione, studes defensionem hęreticorum perpetuo suscipere, hęresim a cunctis hęreticis removere, & Catholicę veritatis patronos, severiorisque disciplinę sacrorumque canonum vindices damnare uti Christianę Charitatis inimicos, ab indole & spiritu religionis alienos, reos duritię, superbię, supercilii, & pertinacię. Hęc & alia similia congeris in Occidentales Universos, & in tres pręsertim Romanos Pontifices, Gelasium, Symmachum, & Hormisdam, qui Apostolico Zelo, doctrina, & sanctitate eo eminuerunt, ut sit Ecclesia Universa hactenus fassa, ipsos divinitus oppositos fuisse hęresi Euthychianę, ut comprimerent ejus nefarios conatus, ne totum Orbem invaderet. Sed cave, ne forsitan quadrare videantur in te, quę sanctus idem Gelasius contra Senecam Pelagianum scripsit ad Episcopos Piceni pro Hieronymo & Augustino = *Adhuc majus scelus accrescit, ut... Ecclesiasticorum lumina Magistrorum, musca moritura.. exterminans oleum suavitatis, lacerare contenderet* (1).

II. Contra vero laudare non desinis Imperatores maxime Orientales; qui sive mali sint, sive boni non curas. Omnes enim optimi tibi sunt, dummodo Universæ Occidentis Ecclesię, Romanoque Pontifici aliquo modo adversentur. Tibi eorum nemo extitit unquam, qui non se gesserit secundum spiritum Christi & Ec-

(1) Gelas. Pap. I. epist. 7. ad Episc. Picen. Concil. Tom. 4.

& Ecclesię. Cum Theodosio Secundo, & Justino Seniore piissimis Imperatoribus copulas (pag. 112. & seq.) Justinianum, Zenonem, & Anastasium, quorum uterque cum hęresum portenta, & hereticorum monstra in gemitu Ecclesię diu patrocinarentur, in heresi tandem objerunt. Tu laudem extinctionis schismatis Nestorii & Joannis Antiocheni, qui Nestorii partes assumpserat, ut integre tribuas Theodosio Imperatori, adimis omnino Romanis Pontificibus Cęlestino & Xysto, quasi mere passive in ejusmodi negotio se habuerint; neque fingis tribuere Maximiano Constantinopoleos Episcopo, nisi quatenus Imperatorium instrumentum describis. Cyrillo vero Alexandrino non aliam partem concedis, nisi mederationem qua se pręstitit curis Imperialibus. Ais enim pag. 106. „ Ut huic (di-
„ visionis periculo) obviam iret Theodosius Junior,
„ consilium suscepit Christiano Principe vere di-
„ gnum. Adscivit viros prudentia, moderatione ani-
„ mi, ac pacis amore pręstantes, iisque demandavit, ut
„ modum inquirerent, quo lis finiri posset, ac ita pax
„ Ecclesię restitui. Inter selectos viros eminuit Ma-
„ ximianus &c. „ Sed quis audiat sine indignatione tanta mendacia?

III. Lege Cęlestini ad Cyrillum, ad Maximianum, ad Theodosium, & ad Constantinopolitanos epistolas, & videbis quot & quanta egerit Sanctissimus ille Pontifex ad pacem Ecclesię restaurandam. Perpende curas, sollicitudines, vigiliasque nocturnas, & quemadmodum ęquum retributorem glorię Imperatoris, ita strenuum Operarium reperies, & dignum qui clavum Ecclesię Universę teneret (*). At Cęlestinus senio consumptus

(*) „ Indifficulter est Ecclesiarum, & Catholicæ Fidei spe-
„ randa tranquillitas, quando pro hac elaborare Christianissi-
„ mos principes sic videmus. Non est inefficax, in Divinis
„ maxi-

sumptus, vix incepto opere interiit. Verumtamen successit ei Xystus hujus nominis Tertius, heres auctoritatis & Zeli, qui statim ac renuntiatus fuerit Pontifex, ad Pacis negotium animum adhibuit mentemque. *Il y contribua autant qu'il put de sa part*, ait Tillemontius, *& en ouvrit le chemin par la premiere action qu' il fit aprés son sacre* (1).

IV. Equidem sine mora scripsit ad Sanctum Cyrillum, non tantum ut a suo Decessore Celestino pacis conditiones prescriptas confirmaret, sed etiam ut ejus animum magis magisque incenderet ad pacem. Audi cum Cyrillo loquentem „ De Joanne autem Antio- „ chie hec definimus debere servari, que in litteris „ ante missis prescripta sunt (a Celestino), ut nove- „ rit *futurum se unum Catholicorum, si cuncta per Sy-* „ *nodum eversa subvertens, ostenderit seipsum Catho-* „ *licum*

„ maxime caussis, cura Regalis, quæ pertinet ad Deum, qui „ fideliter tenet corda regnantium . . . Tuæ sit hoc Sanctitatis „ cum venerando fratrum consilio, ut orti in Ecclesia strepitus „ comprimantur . . . Studeo quieti Catholicæ, studeo pereunti „ saluti „ Cælest. Pap. ad Cyrill. epist. 16. cap. 1. 2. & 3. apud Coustant.

„ In modum dierum duximus noctes; quia talibus caussis „ omne tempus angustum est: non oculos somno declinavimus „ inquietes „ Cælest. Pap. ad Cler. & Pleb. Constantinop. epist. „ 25. c. 4. Vid. & epist. 22. ad Synod. Ephes. post damnat. Nestor. cap. 7. & seq.

„ Congrega sparsos, piumque animum, qualem te habere „ novimus, in eos quos dissipaverat perturbator exerce. Con- „ grega populos tuos ad matris suæ ubera: revoca quos inhibito „ veneni sapore abstraxerat inimicus . . . ut plus in reparando „ potuisse te liqueat, quam ille potuit in lædendo, qui imita- „ tor Diaboli maluit esse quam Christi, perturbans omnium Ec- „ clesiarum quietem: cui nunc debemus operam in commune „ præstare, ut omnium una fides, & unus sit animus Sacerdo- „ tum. Cælest. Pap. epist. 24. ad Maxim. cap. 2.

(1) Tillem. in S. Cyrill. Articl. 98.

„ *licum Sacerdotem*. Retine fortiter igitur, cum quę
„ a Synodo,tum quę a nobis definita sunt (1). Et alibi
„ = De Antiocheno autem, & reliquis, qui cum eo
„ sectatores Nestorii fieri voluerunt, & de cunctis qui
„ prętcr Ecclesiasticam disciplinam ecclesias institu-
„ unt, jam antea hoc definivimus custodiendum, ut si
„ resipuerint, & cum suo Duce rejecerint omnia
„ quęcumque sancta Synodus, *nobis confirmantibus*
„ rejecit *redeant in Sacerdotum consessum*. Sicut enim
„ persistentes prioribus non potuerunt in nostra esse
„ communione; sic volumus eos propter unitatem ac
„ pacem Ecclesiarum, *satisfacientes, ut diximus*, su-
„ scipi. Ipsi vero in se ipsos invenientur ęquam sen-
„ tentiam protulisse, si extra manentes, cum eo (Ne-
„ storio) qui dejectus & expulsus est, tantę impieta-
„ tatis sese ostenderint socios atque participes (2).

V. Sed tu,qui tollere a Mundo conaris non hęreses & peccata,sed hæreticos,& Schismaticos,scribis pag. 104. quod *Catholici adversus Catholicos veluti hæretici adversus hæreticos disceptabant. Ut res componeretur, coacta est Ephesi Synodus episcoporum &c.* Dic mihi quæso,Catholicus ne erat Nestorius, & qui eumdem pertinaci animo sectabantur?Et post ipsum a Synodo Ephesina damnatum,& errores proscriptos, quid garris pag. 105. quod per adventum Joannis Antiocheni cum suis, & per aliam ab eo Synodum coactam, qua Cyrillus & Memnon Ephesinus Episcopus perperam depositi fuerant, *magis creverit confusio, ac divisionis periculum*? Synodum ne vocas cum Dupinio, & non potius cum Bossueto & Valesio Conciliabulum, quo Joannes Antiochenus rerum attulit confusionem? (1). De divisio-

C ne

(1) Xyst. Pap. ad Cyrill. epist. 1. cap. 5.
(2) Xyst. Pap. ad Cyrill. ep. 2. cap. 3.
(3) Vid. Bossuet. Memor. super Biblioth. Dupin. cap. 1. Observ.

ne vero quid dubitas, quum tu ipse concedas ibidem divisionem jam esse sequutam, propterea quod separaverat sese Joannes cum suis a communione Concilii & Ecclesiæ?

VI. Forsitan ambigis an vera extiterit ea Divisio, quę data opera inter partes contendentes non ideo nata conspiciebatur, ut mutuo consensu videretur comparata? Ridiculum Systema! Seu potius contendis nullius roboris illud schisma fuisse, quia ut rerum probavit eventus, Joannes Antiochenus non errabat errore doctrinę, sed tantum errore facti, quia existimabat a Concilio probatam fuisse hæresim Apollinaris? Vel quia uti Œcumenicum hactenus habere non teneretur? Sed quis Novator suis mendaciis velamina similia non quęrit; falsasque caussas rebellionis non fingit? Datur ne rebus in his ignorantia invincibilis peccatum excusans, quam tu, qui morum doctrinam severiorem affectas, admittere sæpe sępius videris? Num vero Generalia Concilia suam inconcussam firmitatem repetunt ab unione & reditu rebellium ad pacem Ecclesiæ? An potius necesse erit utramque partem contendentium, post longas disputationes humanitus cognoscere rei veritatem, ut valida separatio existimetur, sive sit spontanea, sive sit ab Ecclesia pro sua potestate Divinitus inusta peccantibus?

VII. Ignoras ergo, seu potius non curas(curares quidem si Theodosium Imperatorem respicerent) quę Ephesini Patres scripserunt de hoc negotio ad Romanum Pontificem Cęlestinum?,,Si enim(ajunt) data fuerit volentibus licentia,& majores sedes injuriis afficere, & ,, contra eos, in quos non habent potestatem, contra ,, leges sic & contra canones proferre sententias, aut ,, potius

serv.3. & cap.2. Observ.1. Edit. Neapol. Tom.21. Vales. in Socrat. Adnot. super lib.7. cap.34.

„ potius injurias ... ibunt ad ultimam confusionem „ Ecclesiæ res. Castigatis autem secundum congruum „ modum talia audentibus, vacabit omnis turbatio, „ & condecens Canonibus reverentia ab omnibus ser- „ vabitur (1) „. Falsò igitur supponis Joannem, suosque collectitios episcopos, qui pro Nestorio damnato acriter pugnabant, divisione sibi adscita, Catholicos adhuc extitisse, non vero schismaticos. Nam ut taceam vere schismaticos habitos esse a toto Concilio Ephesino, a Sanctis Pontificibus Cælestino & Xysto, & ab Episcopis omnibus totius Orbis Christiani, ipsemet Joannes ad Ecclesiam rediens qui foras migraverat, schismaticum se fuisse aliquo modo confessus est, in adimplendis conditionibus præscriptis a Romano Pontifice, in Fidei professione præstita, & in acceptatione Concilii Ephesini, quod ipsum & suos excommunicaverat (2). Quamobrem schismaticos eos episcopos ante reditum tenent usque modo Catholici omnes Scriptores, ne Gallicanis quidem exceptis, Bossueto, Tillemontio, Fleuryo, Natali Alexandro, ceterisque omnibus (3).

VIII. Non erat ergo tibi dicendi locus, post pacem initam ac firmatam inter Cyrillum & Joannem, seu verius inter Ecclesiam & rebelles Ecclesiæ; post Fidei professionem ab Joanne emissam, & post damnatum Nestorium, Romanum Pontificem Xystum, & ex

(1) Concil. Ephes. ad Cælest. Pap. epist. 20. cap. 5. apud Coustant.

(2) Vid. epist. Joan. Antioch. ad Cyrill. & alia epist. ad Xyst. Cyrill. & Maxim. quæ apud Coust. est 3. int. Xystin. Vid. & epist. Euther. Thyan. &c. ad Xyst. quæ est 4. Vid. & epist. Xyst. ad Cyrill. 5. & ad Joan. Antioch. 6.

(3) Bossuet Memor. supr. cit. contr. Dupin. Tillemon. in S. Cyrill. Articl. 90, 91. 94. 98. & alibi pass. Fleury Stor. Eccles. lib. 25. §. 54. lib. 26. §. 16. & 17.

ex utraque parte Antistites omnes, veluti sopore excitatos, cum gaudio admiratos fuisse præter opinionem suam, doctrina inter sese convenire; cum antea singulos longe a se distare singuli opinarentur. Verum quidem est, quod ais pag. 109., Xystum Tertium sibi de pristina pace atque concordia reducta gratulatum esse vehementer, quemadmodum gratulatus est etiam, se nihil egisse *præcoquum*, sed non quatenus conniventiam adhibuerit erga errantes, vel fuerit assentatus eisdem, ut tu perpetuo hæreticis assentaris: sed contra ut ostenderet nihil præcipitasse, omnia mature egisse, quidquid egerit contra Joannem, & nihil non egisse, ut pacem repararet Ecclesiæ, atque aberrantes revocaret ad rectam viam. Lege, mi carissime, non partium studio, sed solo veritatis amore, ea quæ originaliter deprompta ab epistolis Xysti subter hic tibi relata objiciuntur; nec amplius audebis vel asserere, vel supponere, sapientissimum Pontificem vel nihil egisse ut schisma removeret, vel omnia per conniventiam tolerasse ne schisma oriretur, tanquam schisma non extitisset. „ Magna sumus lætitia alacritatis impleti, „ ait Xystus Papa, postquam sicut legimus, ex alto „ nos Oriens visitavit. Ecce enim, *sollicitis nobis*, „ quia neminem perire volumus, sanctitas tua *redintegratum corpus Ecclesiæ* suis epistolis indicavit. „ Redeuntibus ejus in sua membra compagibus, neminem foris jam videmus errare, quia intus *omnes positos fides una testatur*... Exulta frater carissime, „ & ad nos *recollectis fratribus* victor exulta. *Quærebat Ecclesia quos recepit*... Legimus una ovis quantum gaudii reportata præstiterit: & idcirco intelligendum est quid laudis habeat *tantos revocasse pastores*. Greges adspiciuntur in singulis: nec unius „ hic caussa tractatur, quoties agitur de sanitate mul„ torum. Lætamur hic *nihil egisse præcoquum*, quan-

„ *do*

„ *do fructu nostræ sententiæ gratulamur* (1). Frua-
„ mur auctore Domino, bono atque jucundo, quia
„ *in unum fratres rursus cœpimus habitare*. Hæc san-
„ ctitatem tuam volumus prædicare quæ scribis. *Ex-*
„ *pertus es, negotii præsentis eventu quid sit sentire*
„ *nobiscum* „ Sic rescripsit Xystus ad Joannem Antio-
chenum post suum reditum ad Ecclesiam epist. 6. cap. 5. Explicat vero celeberrimus ex Maurinorum familia Pater Coustant „ *Hoc est cum Apostolica Sede, cui in*
„ *primis Fidei Depositum a Christo in Petro creditum,*
„ *& a Petro Successoribus suis traditum atque trans-*
„ *missum fuit* „. In adnot. ibid. *g.*

IX. Sed revertamur ad Synodum Ephesinam, ne criminoso silentio præterire videamur falsa crimina, quæ per summam injuriam intendis in sacratissimum totius Ecclesiæ Christi conventum. Ais enim pag. 104.
„ Ut res componeretur, coacta est Ephesi Synodus
„ episcoporum. Sed nova inde mala orta sunt, unde
„ remedium expectari debuisset. Illuc appulerat Cy-
„ rillus cum suis 200. episcopis: sed itinerum diffi-
„ cultate moram passus Joannes Antiochenus cum
„ Orientalibus nondum pervenire potuerat: monuit
„ ipse Synodum se adventurum paucos post dies, ora-
„ vitque, ut nihil interea decerneretur. Sed jam sus-
„ piciones animum occupaverant. Cogitur Synodus;
„ Nestorii error solemni decreto proscribitur, ac
„ Sancti Cyrilli anathematismi Patrum auctoritate
„ probantur; cumque Nestorius jam declarasset se ir-
„ ritum habere quidquid egisset Synodus, non expe-
„ ctatis ex Oriente Episcopis, concillari judicio e sede
„ sua dejectus fuit. Advenit post duos dies (*) Joannes

 „ cum

(1) Xystus Pap. III. ad Cyrill. Alexandr. epist. 5. cap. 1. & 5.

(*) Evagrius, cui habenda est Fides, ait non duos sed quinque. En verba „ Post legitimam hanc, & justissimam senten-
„ tam

„ cum ſuis, cumque inveniſſet totum peractum eſſe, „ non expectato ipſius adventu, mirum in modum „ excanduit. Hinc diſſidia aucta &c.„

X. Hactenus tu; ſed utinam neque hactenus, neque amplius. Nam ſi fides haberetur iſtiuſmodi narrationi, jure meritoque Neſtorius, irritum habere poterat ſuæ damnationis decretum, veluti præcipitanter peractum, & a ſolo Cyrillo, ſuiſque Ægyptiis Epiſcopis machinatum. Violatæ quippe fuiſſent non ſolius diſciplinæ regulæ, omneſque canones Eccleſiæ, verum etiam communia jura æquitatis & juſtitiæ. Adventantibus enim Epheſum cum ſuo Patriarcha pluribus Epiſcopis,ut judicio proferendo in cauſſa Neſtorii intereſſent,haud ii expectantur. Proh nefas! Synodum certio rem facit Joannes Antiochenus tertiæ priſco ordine ſedis epiſcopus, de itineris incomodis & difficultate, neque tamen curatur. Rogat atque obſecrat ipſe, ut nihil interea decernatur a Synodo circa Neſtorium, pro certo affirmans ſe adventurum paucos poſt dies, ut rem probavit eventus: attamen preces non audiuntur.

XI. Quis ergo non videat in illa tua falſiſſima hiſtoria, Cyrillum ſuſpicionibus occupatum, & ſolo ſtudio Neſtorianæ damnationis flagrantem, Orientalium adventum formidaſſe, propterea quod ſuffragantibus Neſtorii innocentiæ, non amplius ſperabat futurum, ut iniqua ſententia poſſet illum opprimere? Et in medio judicii violentia & calliditate parti, ſediſſe Chriſtum quis credat? Vel quis non execretur potius violentiam & calliditatem Cyrilli, quam Sanctitatem admire-

„ tiam, Joannes Antiochenus Epiſcopus una cum Antiſtitibus ſuis venit, *quinto poſt die* quam Neſtorius fuerat deſtitutus „. Evagr. lib. 1. cap. 5. Vide Valeſ. in Adnot. ad Socrat. lib. 7. c. 34.

miretur, zelum & sapientiam? Aut quis non sibi facile persuadeat Œcumenicam Synodum cum Ephesino Latrocinio comparandam? Aut quis denique non videat quemadmodum in Cyrillo Theophilum, & in Nestorio Chrysostomum, ita & in Synodo Ephesina Synodum ad Quercum? (1). Laus tamen Deo, quod vehementer erras. Historiam audito, non ad opus mihi confictam, ut tibi mos est, sed de autographis gestis Concilii desumptam.

XII. „ Congregati sumus, ajebant Patres ad Cæ-
„ lestinum, in Ephesinorum Metropoli ex multis &
„ diversis provinciis ultra ducenti existentes numero
„ episcopi. Deinde piissimis decretis amatorum Chri-
„ sti Imperatorum, per quæ vocati sumus, *tempus de-*
„ *finientibus* sessioni sanctæ Synodi diem Sanctæ Pen-
„ tecostes, omnibus concurrentibus, maxime quia
„ continebatur in litteris Imperatorum, ut si non ali-
„ quis occurrisset post definitas inducias, non bona
„ conscientia abesset, & esset inexcusabilis tam apud
„ Deum, quam apud homines, defuit reverendissimus
„ Johannes Antiochenorum episcopus, non quasi vo-
„ luntate simplici, sed neque spatio itineris impedi-
„ mentum faciente, sed occultans mente consilium &
„ cogitationem dissonantem a Deo, quam non longo
„ post tempore veniens Ephesum demonstravit. Di-
„ stulimus igitur Concilium post definitum diem san-
„ ctæ Pentecostes totis decem & sex diebus, cum
„ multi tam Episcopi, quam clerici & ægritudine
„ comprehensi, & afflicti essent in expensis, aliquan-
„ ti vero & de vita migrassent; & erat sicut perspicit
„ tua sanctitas injuria magis contra sanctam Synodum
„ quod agebatur. Tanta enim dilatione perverse usus
„ est; cum utique eum præcessissent multi ex longio-

 „ ribus

(1) Vid. Evagr. lib. 1. cap. 7.

„ ribus spatiis. Verumtamen post diem sextumdecimum præcesserunt quidam ex iis qui cum eo erant „ episcopi, metropolitæ duo, Alexander Apameæ, & alter Alexander Hierapoleos. Deinde nobis incusantibus adventus tarditatem reverentissimi episcopi Johannis dixerunt non semel, sed sæpius, quia demandavit nobis nuntiare reverentiæ vestræ, quod si contigerit eum adhuc morari, non differri Synodum, sed facere quæ oportebat. His nuntiatis, & manifesto facto tam ex tarditate, quam ab his quæ ab eo nuntiata sunt, quia recusat concilium, sive amicitiæ Nestorii præstans, sive quia clericus fuerat sub se constitutæ Ecclesiæ, sive quorumdam pro eo petionibus cedens, consedit sancta Synodus Ephesi in majore Ecclesia, quę vocatur Maria. Cum autem omnibus alacriter convenientibus *solus* deesset Concilio Nestorius, commonuit eum sancta Synodus canonice per episcopos prima, & secunda, & tertia vocatione. Ille autem militibus circumcludens suam domum superbiit contra ecclesiasticas leges, nec passus est semetipsum manifestum constituere, nec satisfacere de iniquis suis blasphemiis &c. „. (1)

XIII. Post hæc consule Bossuetum in laudata Memor. contra Dupinium cap. 2. Observatione 1. & sequentibus, ubi plenissime dissipatas reperies tuas illas garrulitates, quas non collatis autographis, ex Dupiniana Bibliotheca forsitan deprompsisti. Lege etiam Fleuryum, & similia invenies apud ipsum, præsertim contra Joannem Antiochenum, suosque Orientales Episcopos (2). Sed de hoc satis.

XIV. Modo vero opus est gradum facere ad Semipelagia-

(1) Relat. quam Synod. Ephes. transmis. ad Cælest. Pap. cap. 1. & 2. apud Coust. ep. 20. int. Cælestinian.

(2) Fleury Hist. Eccles. lib. 25. §. 34. & seq.

pelagianæ hæreſeos hiſtoriam, quam enarrare incipis quippe qui Eccleſiam damnato etiam errore, *adhuc diutiſſime errantes* filios, caritatis affectu complecti, niteris probare. Duplicem rei affers rationem, ut ſcilicet ab errore revocentur errantes, & ne ſcindatur Eccleſia. Optimam utramque admittimus, neque principium omnimode reſpuimus, cum hæc omnia tolerantiam reſpiciant hominum tantum, ubi ſpes affulgeat eos redimendi ab errore. Sed tibi extra caſtra vagantur. Nam ut auctoritate Auguſtini eadem confirmes, affers ſancti doctoris adulterata verba hoc modo „ Hanc „ moderationem Auguſtinus ſervavit. *Mihi videor*, „ inquit lib. de prædeſt. Sanct. cap. 1., *eos fratres* (Semipelagianos) *eo modo eſſe tractandos, quo tractavit Apoſtolus, quibus ait: & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*. Errorem quidem „ acerrime redarguebat, ſed errantes fraterno charitatis vinculo tractabat. *Impendamus*, ait, *eis dilectionis affectum, miniſteriumque ſermonis*. Hoc ſcilicet, ut ſi fieri poſſit, ab errore revocentur, illum „ vero, ne ſcindamus Eccleſiam „ pag. 110. Hæc tu, ſed non hæc Auguſtinus.

XV. Quamobrem quis non indignetur te affingere magno illo doctori tantum errorem, ut ore tuo videatur docere, hæreticos idcirco cum moderatione tractandos, ut expectemus Deum iiſdem revelare quidquid aliter ab Eccleſia ſapiunt, ſeu potius deſipiunt? Eos ergo hæreſis dignos faciet, qui Divinitus tanta præmia recipiant? Minime gentium. Auguſtinus enim loquitur ibidem de primis illis Semipelagianis, quorum error vix natus præſertim inter Maſſilienſes preſbyteros, viros magna ex parte religione ac pietate conſpicuos, non adhuc erat ab Eccleſia aliquo ſpeciali decreto damnatus. Homines vero, cum non errarent niſi circa initium fidei, ſpes erat revocandi ad viam veri-

veritatis; quandoque patet jam respuisse Pelagianorum hæresim, neque eo pertinaciter reliquiam erroris hactenus propugnasse, ut Ecclesia æque ac Augustinus, Prosper, & Hilarius desperarent de plenissima ejus abdicatione. Atque etiam si considerare vis, quæ sit Augustini vera sententia, quam sit aliena ab illa quam tribuis tu ad fucum faciendum imperitis, credulisque, recognosce verba hic tibi ita relata, ut nihil addatur, minuaturque.

XVI. Profecto nullibi invenies illam tuam tortuosam conclusiunculam = *Ne scindamus Ecclesiam* = quam Augustino de industria affingere conaris. Idem dicendum de iis, quæ intempestive congeris ibidem, vel ex Sancto Prospero, vel ex episcopis Africanis in Sardinia exulantibus. Nam verba quę profers, licet hinc inde a te collecta, atque in unum callide, ut videtur, redacta, tamen nihil aliud præseferunt, quam Christianæ Caritatis officia errantibus præstanda, ne desit ministerium, quo Deo dante, revocentur in vias rectas. Quare Augustinus inquit „ Consideratis enim „ litteris vestris (Prosperi & Hilarii) videre mihi vi-„ deor eos fratres, pro quibus geritis piam curam, „ ne teneant poeticam sententiam, qua dictum est: „ *Spes sibi quisque*: & in illud incurrant, quod non „ poetice, sed Prophetice dictum est: *Maledictus om-„ nis qui spem habet in homine*: eo modo esse tractan-„ dos, quo tractavit Apostolus, quibus ait: *Et si quid „ aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*. Ad-„ huc quippe in quæstione caligant de Prędestinatio-„ ne Sanctorum. Sed habent unde si quid aliter in ea „ sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo am-„ bulent in quod pervenerunt. Propter quod Apostolus cum dixisset: *Si quid aliter sapitis, hoc quoque „ vobis Deus revelabit*. Veruntamen inquit, in quod „ pervenimus, in eo ambulemus. Pervenerunt autem „ isti

„ isti fratres nostri, pro quibus solicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. *Pervenerunt etiam, ut prævenire voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Retenta ergo ista in quæ pervenerunt, *plurimum eos a Pelagianorum errore discernunt*. Proinde si in eis ambulent, & orent eum, qui dat intellectum, si quid de prędestinatione aliter sapiunt, *ipse illis hoc quoque revelabit*. Tamen etiam nos *impendamus eis dilectionis affectum, ministeriumque sermonis*, sicut donat ille quem rogamus, ut in his literis ea, quæ illis essent apta & utilia diceremus „ (1).

XVII. Pereunt ergo Moderationis exempla, quæ ex quinque prioribus Ecclesiæ seculis tibi propositum fuit eruere, ut ostenderes qua ratione *personas errantes consueverit Ecclesia tractare, vel in gratiam earum errores ipsos Ecclesiam non semel toleravisse*; *quoniam*, ut affirmas *plura licite potest, & debet tolerare mala*. Nihil enim systematis fundamenta quæ ponis, præter hoc unum concludunt, quod te ferme nolentem & nescientem falsarium efficiunt. Verum sub silentio nunc præterire opus est Acacianum Schisma, quanquam prodiverit quinto exeunte Ecclesiæ seculo, & initio sexti desierit. Nam impossibile est ad calcem hujus epistolæ brevi spatio intercludere tot ac tanta, non dicteria, sed mendacia, & adulterationes, quibus non singillatim & discretim, sed coacervatim Acaciani Schismatis historiam conscripsisti. Quamobrem illius confutationem in aliud tempus differre, ac altero Curso-

re

(1) August. de Prædest. Sanct. cap. 1.

re tibi remittere melius est. Interim vero ea macte virtute, ut talia dediscas rudimenta si habes, ne (quod Deus avertat) miles exercitatus prodeas tamdem rebellis Ecclesiæ. Attamen optima fretus indole tua, adolescens præclarissime, spem bonam concepi futurum, ut litteras legendo meas, inter dolum & fraudem hactenus incessisse compertum habeas. Vale in Christo.

EPISTOLA TERTIA.

De Acacio Patriarcha Constantinopolitano, ejusque Schismate.

I. POst breve intervallum venio iterum ad te, carissime Thaddæe mi, historiam examinaturus, quam colligis Acaciani Schismatis, de quo video te prolixius loquutum in libro de Tolerantia, per quatuor integros, longosque paragraphos, a pagina 112. usque ad 121. Sed (mirabile dictu!) materia superatur multitudine errorum, quibus aut mentiendi caussa, aut libidine infamandi Romanos Pontifices, summa videderis industria paginas refersisse. Sic enim incipis
„ Siquidem in Ecclesia Constantinopolitana Gennadio
„ successerat Acacius, qui multas tragœdias in Orien-
„ te excitavit. Nam Petrum Moggum, quem prius
„ velut hæreticum fuerat merito insectatus, in com-
„ munionem suam recepit, & in sedem Alexandrinam
„ a Zenone Imperatore restitui curavit. Id ægre tulit
„ Romanus Pontifex, noluitque cum Petro commu-
„ nionem habere. Immo communionem suam etiam A-
„ cacio denegavit, eumque a sede deposuit in Synodo.
„ Hanc depositionem tam illegitimam respuerunt O-
„ rientales. Hinc proprie schisma ortum est. Nam Ro-
„ mani Pontifices eam tueri volentes, non solum Aca-
„ cium

„ cium a communione Ecclesiastica segregarunt, sed „ quotquot cum Acacio communicabant, scilicet maximam Ecclesiæ partem, ac præ cæteris sanctos viros „ Sabam, Theodorum, Danielem Stilitam, Eliam Hierosolymitanum, aliosque. Quod durum, ac formidandum visum est Tillemontio tom. xvi. hist. Eccles. Nec „ solum Acacii personæ bellum motum est a Romanis, „ sed etiam ipsius memoriæ. Exigebant enim ab orientalibus, ut ejus nomen e diptychis raderetur; nec nisi „ sub hac conditione communionem suam exhibebant. „ Immo longius progressi sunt; nam e diptychis non „ unius Acacii nomen deleri volebant, sed eorum „ etiam omnium nomina, qui dum viverent, cum „ Acacio unitatis vinculo conjuncti fuerunt. Hinc „ anathema jussum est dari viris sanctitate illustribus, „ quorum memoria in benedictione erat apud Orientales &c. „ Verba tua sunt, sed revera non tua, quoniam ex hæreticis mutuata sibi ipsa mentiuntur.

II. In primis enim concedis, mi carissime, Acacium *multas tragœdias in Oriente excitasse, propterea quod, cum olim infectatus merito fuerit Petrum Moggum* virum hæreticum, repente mutatus in suam communionem ipsum recepit, rursusque curavit, ut Zeno Imperator vel hæretico pejor, vi & armis in sedem Alexandrinam, invita universa Catholica Ægyptiorum Ecclesia, reponeret. Deinde vero, uti non bene se gesserit, frigide asseris, id ægre tulisse Romanum Pontificem, nec voluisse cum Petro Moggo communionem habere: imo communionem suam etiam Acacio denegasse; quasi prius cum Moggo communicaverit, vel opus esset cum utroque communionem habere, ovibus sociare lupos, & unam Christi Ecclesiam, unitate fidei præsertim compactam, ex omnibus componere sectis hæreticorum, ac amore pacis, quæ non est pax, cum sectatoribus omnibus communionem habere.

III. Præ-

III. Præterea quid exaggerare te ibidem tantopere audio,maximam Ecclesiæ partem, ſanctiſſimosque viros nihil Romanorum excommunicationem facientes, cum Acacio tamen perpetuo communicaſſe? Equidem ex certiſſima hiſtoria patebit inferius ſuppetere tibi mendacia, cum deſint argumenta. Nam propterea ſolertiſſime affirmas, *Acacii depoſitionem tamquam illegitimam reſpuiſſe Orientales*, ut contra irritos Eccleſiæ Romanę conatus illegitima revera exiſtimetur ab incautis, & pro nihilo habeantur Summorum Pontificum excommunicationes, neque tanti exiſtimetur in poſterum Eccleſiæ Romanæ communio (*). Ex ejuſmodi enim præmiſſis quiſque facile ſibi perſuadere poteſt,te paullatim ad iniquam illam deſcendere concluſionem. Hinc ad majorem conflandam invidiam, fallaciſſime ſcribis Romanos Pontifices, ut a ſe factam Acacii tuerentur depoſitionem, *maximam eccleſiæ partem excommunicaſſe*, ac nominatim ſanctiſſimos viros *Sabam*, *Theodorum*, *Danielem Stilitam*, *Eliam Hieroſolymitanum*, alioſque, qui ſi tibi fides haberetur, ſtabant pro Acacio una cum Univerſo Oriente.

VI. De-

(*) Auctor affirmat hic cum Tillemontio, ſeu potius cum editore poſthumi tomi 16. veram Evangelii ſanctitatem, ſanctoſque viros, quos veneratur Eccleſia Catholica, reperiri poſſe etiam extra communionem Eccleſiæ Romanæ, ſed non perpendit vel Tillemontium in opere non adhuc forſitan perpolito id minus caute aſſeruiſſe, vel ejus editorem ad calcem vitæ Euphemii additionem illam feciſſe. Nam Gallicani ipſi novitatem reſpuerunt cum indignatione. „ On ne ſauroit approuver „ les propoſitions contenues dans ce paragraphe, ni quelques „ autres de meme ſorte, que M. de Tillemont, ou celuy qui „ a publiè ce tome poſthume ont avancées touchant le differend des Eveques d'Orient avec les Pontifes Romains. L'expreſſion eſt trop hardie & trop dangereuſe quand on dit que „ *hors la communion Romaine on peut meriter le titre de ſaints* „ *& de Confeſſeurs &c.* „ Annotator Tillem. In Euphem. artic. 10.

IV. Denique non erubuisti Petrum Moggum *restitutum* dicere in sedem Alexandrinam, quasi legitime olim occupasset eam, habuissetque suam; & non potius pervasor ac perturbator iniquissimus illius Ecclesię semel atque iterum extitisset; quandoquidem injuria summa coegerit primum in fugam abire Timotheum Salophaciolum, postea vero Joannem Talajam piissimos Alexandrinorum episcopos. Noli ergo *restitutum* vocare qui *recidivus invasor* cum Sancto Simplicio Papa merito est appellandus (1). Verum non hic desit oratio tua. Ita enim crescit ut fere ad summam injuriam fallaciamque perveniat, quando ut pacis Ecclesiæ hostes perpetuos quisque credat Romanos Pontifices, ludis hujusmodi ratione loquendi.

V „ Nec solum Acacii personę bellum motum est „ a Romanis, sed etiam ipsius memoriæ. Exigebant „ enim ab Orientalibus, ut ejus nomen e diptychis „ raderetur; nec nisi sub hac conditione communio„ nem suam exhibebant. Immo e diptychis non unius „ Acacii nomen deleri volebant, sed eorum etiam „ omnium nomina, qui dum viverent, cum Acacio „ unitatis vinculo conjuncti fuerunt. Hinc anathema „ jussum est dari viris sanctitate illustribus, quorum „ memoria in benedictione erat apud Orientales. His „ conditionibus quatuor Romani Pontifices inhæse„ runt firmissime per 36. & amplius annos, nec un„ quam se removeri passi sunt vel quorumdam Epi„ scoporum precibus, vel tot malorum præsentia, quæ „ ab eo schismate producebantur. Unus Anastasius „ Secundus a prædecessorum suorum *duritie* recedere „ visus est. Sed post ipsius obitum iterum ad duri„ tiem reversum est. Quæ sane *durities* gravissima

„ mala

(1) Vid. epist. Acac. ad Simplic. Pap. epist. 9. Simplic. ad Acac. 10. ad Zenon. Imper. 11. ad Acac. & seqq. Concil. Tom. 4. col. 1080. & seqq.

„ mala in Oriente peperit. Quorum malorum præ-
„ sentia commoti Orientales episcopi, cum flectere
„ Romanorum animos non possent, ob unitatis, ac
„ pacis studium conditionibus acquieverunt. Non
„ defuerunt tamen aliquæ Orientis ecclesiæ, quibus
„ id nimis durum videbatur, quæque propterea in
„ damnationem episcoporum suorum consentire no-
„ luerunt. Utrum agendi ratio, quam Pontifices te-
„ nuerunt, Ecclesiæ Christi spiritui congrueret, dif-
„ ficile non est judicare. Id primum colligi potest ex
„ insignioribus illus ætatis episcopis, qui mitiorem
„ animum in Romanis Pontificibus desiderarunt „.

VI. Hinc pro ingenio tuo citare non dubitas Sanctum Avitum Viennensem Episcopum, uti improbantem ejusmodi rationem agendi Romanorum Pontificum. Sed callide verba præteris, ne facilius detegeretur commentum. Avitus enim cum ignoraret novam illam tuam *Unitatem*, qua nonnullos cum Acacio scribis fuisse conjunctos, tamquam errantes extra Ecclesiæ Catholicæ castra habuit Orientales, schismate Acaciano durante: ac ideo summopere gavisus est de *ovium infirmantium reditu ad cælestes caulas*, & de ab ipsis *redintegrata pace cum ovibus intra claustra salvatis* (1). Idem facis de Patriarcha Constantinopolitano Euphemio, quem Euphremium iterum iterumque appellasti. Ipse vel sibi comminatæ seditionis metu, vel Imperatoris caussa, pro Acacio a Diptychis non eradendo, aliquo modo stetit contra Romanos Pontifices, a quibus in hoc tantum reverenter dissensit.

VII. Sed tu frustra venditas duas scripsisse episto-
„ las ut ad lenitatem flecteret Gelasium Papam, a
„ quo

(1) Vid. S. Avit. ep.37. ad Petrum Episc. ep.87. ad Hosmid. Pap. & epist.7. ad Joan. Constant. Vid. Tillem. in Acac. Artic.38.

„ quo non habuit nisi *durissimas responsiones*. Quibus „ factum est, ut passim ab Orientalibus *Romanorum* „ *superbia* argueretur, neque a Gelasio pacem amari „ crederetur. Unus Anastasius Secundus satis ostendit „ se prędecessorum suorum *duritiem* nequaquam pro- „ bare. Nam missis Legatis, atque scriptis ad Im- „ peratorem humanissimis litteris, etiamsi rogaret ut „ diptychis deleretur nomen Acacii qui prima fuerat „ schismatis occasio, tamen de aliorum episcoporum „ nomine, qui cum Acacio communicaverant nihil „ sollicitus, teste Anastasio Bibliothecario, paratissi- „ mus erat nomen Acacii restituere, dummodo dis- „ sensiones Ecclesiarum componerentur. Sed obiit re- „ pente Anastasius, cui unus post alterum successerunt „ Symmachus & Hormisdas, qui Anastasii vestigia non „ secuti, rem denuo in summo discrimine posuerunt. „ Nam Orientales beatę memoriæ nomina Ss. Euphre- „ mii ac Macedonii in sacris diptychis reposuerant, e „ quibus odio catholicæ fidei abraserant Eutychiani. „ Poscebant igitur prudentiæ leges, ne Hormisdas in- „ sisteret abrasioni petendæ nominum tam caræ re- „ cordationis, cum id ne fieri quidem posset absque „ periculo seditionis, & populi tumultus. Hinc ro- „ gatus ab Justino Augusto, ut ab ista conditione rece- „ deret Hormisdas, flecti non potuit ejus animus, & „ institit proposito *pertinacissime*. Tantam *animi sæ-* „ *vitiam* doluit Orientalis Ecclesia; sed pacis amore „ ducta *satius duxit sanctorum suorum nomina* e di- „ ptychis dimittere, quam utramque Ecclesiam per- „ petua divisione sejungeré „.

VIII. Hæc tibi est, carissime mi, Orientalium Ecclesiarum moderatio, apud quas sanctos abradere e diptychis, idem est ac hæreticos reponere in ipsis. Ergo dum pacis studiosas facis, exhibes prostitutas, & veritatis atque justitiæ improbissimas proditrices. *Quid*

igitur hic dicemus? Opportunissimo clamat contra te Hermianensis Facundus, qui, ut optime scis, non longe ab illis temporibus claruit, regnante Justiniano Imperatore „ Numquid per tot annorum spatia „ non est inventus quisquam in Romanis Sacerdotibus a Felice Acacii damnatore, usque ad Hormisdam, qui Orientis reconciliavit Ecclesias, inter quos „ fuerat etiam B. Gelasius in sanctitate vitæ atque „ scientia per universum mundum celebrioris famæ „ gloria prædicatus, non est inventus vel in Romano „ clero, Christiana plebe inibi consistente, vel in cunctis occidentalibus Ecclesiis, qui vel tantum esset „ pro Ecclesiarum unitate sollicitus, quantum Magister „ hic novus (Mocianus, cujus te exhibes dignissimum „ successorem) novissimis temporibus destinatus; ut „ nemo cognosceret & doceret quod in eadem quoque „ *causa malorum communio toleranda foret*, ne cum zizaniis eradicaretur & triticum? (1)

IX. Attamen prosequeris „ Quædam tamen Orientalium Ecclesiæ eam gravem injuriam fieri memoriæ sanctorum suorum passæ non sunt. Hinc restiterunt *Romanorum supercilio*. At instabat Hormisdas ut in illas vi ac pœnis animadverteret Justinus Augustus; sed longe melius quam Pontifex ecclesiæ spiritum ipse intellexerat, nec votis Pontificis annuit. Contra vero hortatus est Pontificem, ut nominis Acacii abrasione contentus, de cæteris non inquireret. Atque antea ad eumdem pontificem scripserat Imperator Anastasius (impiissimus hæreticus) his verbis. *Nimis durum sibi videri mortuorum caussa ab Ecclesia viventes expellere &c.* „ Post hæc tibimetipsi hoc epiphonemate acclamas = *Quanto melius judicabant laici a partium studio liberi, quam in*

(1) Facund. Hermian. lib. contr. Mocian. infr. init.

in propria caussa summi Ecclesiæ pastores! = Ergo putas optimum rerum ecclesiæ te laudasse judicem Anastasium, & non potius *indignum qui Christianis imperaret*, ut ajebat Euphemius Patriarcha? (1). Sed cave ne quis tibi Facundi ore dicat = *Non ergo ulterius abutatur in suam aliorumque perniciem novus hic doctor assertionibus & exemplis* = (2). Nam summi ecclesiæ pastores non in propria caussa, sed in caussa multorum episcoporum, qui in odium fidei a Zenone & Anastasio Imperatoribus vexabantur, & in caussa Ecclesiæ Universæ, ea qua Divinitus pollebant auctoritate judicabant.

X. Verumtamen non hic desinis a mendacio. Sic enim perseveras pag. 120. „ Cum nollet Hormisdas „ ab inceptis desistere,& cum intelligeret illas Orientis Ecclesias propositas conditiones respuere, nec „ Augustum votis suis annuere velle, rem totam remisit arbitrio Epiphanii Constantinopolitani, qui „ mitiora consilia secutus, ut unius Acacii nomen deleretur expetiit, & Ecclesias omnes amico fœdere „ conjunxit. Quare exitus comprobavit indolem ac „ spiritum Ecclesiæ magis hac in caussa prodidisse in „ Oriente, quam in Romanis Episcopis. Quod & posteriorum sæculorum judicium fuit, immo vel ipsius „ Ecclesiæ Romanæ, quæ postea quasi non factum „ consideravit quidquid hac in re gestum fuerat a præsulibus suis. Nam non solum permisit ea, de quibus lis erat, nomina episcoporum iterum in diptychis Ecclesiæ Orientalis inscribi,sed etiam suis Beatorum fastis inseruit, ac iis honorem ac cultum „ exhibuit, quorum, dum viverent, communionem „ Pontifices Romani rejecerant. Quo satis comprobatum est ipsius judicio in ea caussa modum Pontifices „ exce-

(1) Theodor. Lect. Hist. Eccles. lib. 2. n. 6.

(2) Facund. Herm. loc. cit.

„ excessisse „. Hæc sunt compendio quæ tu de Acaciani Schismatis historia protulisti. Miror ignominiam non pungere, quem veritatis amor non ferit!

XI. Falsissimum enim est, Ecclesiam Romanam, quæ hactenus firmissime tenet quidquid actum fuit contra Acacium a sex præsulibus suis, tamquam non facta considerasse quæ gesta fuerunt. Testem quidem habemus Facundum, quod ea quippe volente, non solum Romę & apud Occidentales, sed etiam apud Orientales universos, usus invaluit, ut novi episcopi omnes antequam consecrarentur, *per libellos* damnarent nomen Acacji (1). Equidem fateor Græcos per tempus aliquod sæculari potentia fultos duorum præcipue Imperatorum, qui hęretica labe polluti erant, pluribus annis Acacii nomen recusasse quominus eraderent e sacris diptychis. Non tamen quia vel insontem, vel minus culpabilem eorum plerique existimarent, sed maxime quia ex ipsius damnati nominis erasione, irritas propterea inde evasuras putabant ordinationes omnes ab eo factas, reiterandumque Baptismum. Errorem abstulit Anastasius Papa Secundus, definiens crimen Acacii ipsum tantum respicere (2).

XII. Sed quid est quod unus te movet Acacius, & hæreticorum quærelæ? Contra vero quid præteris Joannem Talajam virum optimum, atque Secundę Sedis, Alexandrinæ scilicet Episcopum, qui Acacianis machinationibus legitima possessione deturbatus, Acacium apud Romanum Pontificem canonice accusavit, & exemplo Majorum suorum Primę Sedis imploravit auctoritatem, ut sibi restitueretur Episcopatus? Quid taces de Calendione probatissimo Antiochiæ Antistite, quæ totius Orbis Christiani tertia Sedes habebatur? An ignoras ipsius Acacii opera fuisse episcopatu depulsum

(1) Facund. Herm. lib. contr. Mocian. in fr. init.
(2) Vid. Tillem. In Acac. Artic. 54.

ſum ; atque in ejuſdem Sedem Intruſum fuiſſe Petrum Fullonem hæreticorum monſtrum , quem paullo ante Acacius ipſe damnaverat ? Quid taces tot ac tanta crimina ab Acacio patrata ? Quid ſuppoſititiis coloribus pingis jam confictas hæreticorum calumnias, ut iis tamquam rebus geſtis moveantur lectores ? (1) Contra vero quum Catholicus videri velis de tot pulſis Catholicis Epiſcopis ſiles ; & ſiles etiam de in eorum locum immiſſis Eutychianis hæreticis ? Vix muſſitare te audio, Acacium tragœdias excitaſſe, & primam extitiſſe ſchiſmatis cauſſam . Sed nullam mentionem facis de canonica ejus accuſatione ad legitimum tribunal Romani Pontificis ; neque de ipſius damnatione ab uno & altero Concilio ; vel ſeptuaginta vel quadraginta circiter Epiſcoporum Romæ habitis a Felice Papa Tertio , qui ſententiam protulit , quam juſtiſſimam Univerſa probavit Eccleſia , & juſtiſſimam ultro fatentur Gallicani Scriptores ; Tillemontius , Natalis Alexander , Fleuryus ; ceterique omnes (2) .

XIII. Quid garris ergo Romanos Pontifices bellum moviſſe Acacio ; ejuſque memoriæ , cum opus eſſet potius dicere motum ab Acacio bellum fuiſſe Eccleſiæ Univerſæ , & ſuis pręſertim epiſcopis per Orientem conſtitutis? Quoniam ipſo inſtigante Zenonem Auguſtum, pręter duos laudatos Epiſcopos, ſedibus expuliſſe patet Catholicos Præſules Neſtorem Tharſenſem , Cyrum Hierapolitanum , Joannem Cyreſtenſem , Romanum Chalcidem , Euſebium Samoſatenum , Julianum Mopſveſtenum , Paulum Conſtantinæ , Manum Hemeriæ , Andream Theodoſiopolitanum , Eliam Cęſarienſem , Thomam , Nicoſtratum , aliosque permultos , qui Eccleſiæ Romanæ uti par erat , inhęrentes ,

 Fi-

(1) Vid. epiſt.4. Felic.Pap. ad Acac.Concil. tom.4.col.1073.

(2) Vid. Tillem. in Acac. & ſur S. Macedon. paſſim. Fleury toto lib.31. paſſ. Natal.Alex. Sæcul.5. Diſſert.19.

Fidem Chalcedonensis Concilii Apostolica tuebantur constantia & firmitate (1). Sed cum universum Orientem, ideoque maximam Ecclesię partem Romanis adversantem temere affirmas, cur siles plurimorum Episcoporum universi Orientis, & pręsertim Constantinopolis Acœmitarum ad sedem Apostolicam iteratos recursus, quibus de nimia, ut ipsis videbatur, Romanorum Pontificum erga Acacium conniventia conquerebantur? (2). Et tanta miseratione commotus in hęreticos atque schismaticos, ut vehementer doleas, nimis dure habitos a Romanis Pontificibus, propterea quod renuebant omnino communicare cum ipsis, nihil inde moveris tot Catholicorum Sacerdotum, & religiosissimorum virorum necibus, etiam inter templum & altare peractis ab illis Eutychianis, quorum tantopere misereris?

XIV. Nihil te movent lacrymę ducentorum & amplius Archimandritarum & Sacerdotum, qui suis datis nominibus, Acacium damnabant, & pro universo Oriente Catholico deprecantes ad Romanum Pontificem Sanctum Hormisdam, quem tu impudentissime vocas pertinacissimum, tanquam ad Ecclesię universę Caput, & ad Patrem communem religiosissime confugerunt? Audias quęso cum Hormisda loquentes
„ Euntibus namque nobis ad mandram domini Simeo-
„ nis pro caussa Ecclesię, insidiati sunt nobis in itinere
„ pręducti coinquinati, & supervenientes occiderunt
„ ex nobis *trecentos quinquaginta viros*, quosdam au-
„ tem

(1) Vid. epist. Hormisd. 60. 61. & seqq. Concil. tom. 4. col. 1507. & seq. Vid. Vales. Dissert. de duabus Synod. Roman. a quibus damnat. est Acac. cap. 2. & 3. Evagr. lib. 3. c. 18. 19. 20. Vid. Gelas. Pap. ad Orient. Episc. ep. 15. Conc. tom. 4.

(2) Vid. Vales. ibid. & in Not. ad Theodor. Lect. lib. 1. n. 22. lit. u. Fleury Hist. Eccles. lib. 3. §. 17. Dupin. Bibl. Eccles. tom. 4. in Felic. Tertio, Vid. Evagr. Hist. Ec. lib. 3. cap. 19.

„ tem vulneraverunt; alios vero, qui potuerunt ad co-
„ lenda altaria confugere, ibidem peremerunt; &
„ monasteria incenderunt ... Ad singula autem delatę
„ ad vestram beatitudinem instruent chartę a venera-
„ bilibus fratribus Joanne & Sergio; quos miseramus
„ Constantinopolim; sperantes vindictam fieri de his
„ quæ commissa sunt. Sed eos nec verbo dignatus est
„ Jmperator, sed etiam cum grandi contumelia expu-
„ lit, comminatus eis; qui ista porrigerent ... De-
„ precamur ergo, Beatissime Pater, supplicantes &
„ rogantes, ut exsurgatis cum fervore & Zelo, &
„ condoleatis juste pro corpore laniato, nam *Caput*
„ *estis omnium, & vinditetis fidem contemptam, ca-*
„ *nones conculcatos, patres* blasphematos ... Non ergo
„ despiciatis nos, Sanctissime, qui a bestiis ferocibus
„ quotidie vulneramur &c. (1) Itaque falsissimum est Orientem universum, maximamque totius Ecclesię partem, ut dictitas tu, excommunicatam fuisse a Romanis Pontificibus; nam pręter Constantinopolitanos cives universos, & totius Orientis Monachos, infiniti prope numero Episcopi Orientales apertissime cum Romanis perpetuo communicarunt, & persecutionem vel a Zenone, vel ab Anastasio fortiter passi, anathematizabant Acacium, & quotquot ejusdem sectabantur communionem (2).

XV. Quamobrem dum impudentissime carpis sanctum Hormisdam, non recordaris ipsius Legationem ad Orientales, & ad Anastasium Imperatorem cum scripta instructione, in qua non minus prudentia quam caritas refulget, ut ait ipse Fleuryus (3). Sed cum ini-

(1) Exempl. Relat. Minor. Archimandr. Syriæ ad Hormisd. Concil. tom. 4. col. 1461.

(2) Vid. Hormis. Pap. epist. 14. ad Episc. Orthodox. ibid. col. 1452.

(3) Fleury Hist. Ec. lib. 31. §. 22.

iniquissimo Principe omnes evanuerunt sanctissimi viri conatus, ad pacem Ecclesię comparandam. Anastasio autem extincto, atque Justino vix ad Imperium elato, populus Constantinopolitanus, qui antea in miserrima servitute degebat, nonne subitis iteratisque acclamationibus Episcopum coegit, Synodicas mittere Romam ad communionem impetrandam? Et pace statuta, erasisque nominibus Acacii, Flavitę, Euphemii, & Macedonii, an eruperunt seditiones atque tumultus, quos exaggerabant catholicę pacis inimici, qui æque ac tu conniventiam prædicabant, moderationem, & falsam pacem? Non ut veram Christi pacem haberent; sed ut sub falso velamine pacis hæresis dominaretur (1). Et cum velis eruditus videri, non adhuc novisti omnes omnium ætatum sectatores, prędicare moderationem erga se; dum tamen omni generę persecutionis Catholicos exagitant? Tu novus magister in Israel & ignoras, *quia ultra non erunt fovenda vulnera, quæ merentur abscidi* (2)? Quare ajębat sapientissime Clarissimus Bossuetus contra Dupinium.
„ Vi hanno de'falsi moderati, e de'falsi giusti, i quali
„ vorrebbero che non si trattassero male gli Eretici;
„ ma la Chiesa non è stata mai di questo spirito. Col-
„ le parole di S.Celestino diceva essa a tutti i Vesco-
„ vi = *Duris dura responsio* = Abbatter bisogna que-
„ sti superbi: bisogna rendere abbominevoli al po-
„ polo questi avvelenatori che ammazzano le ani-
„ me ec. (3)

XVI. Sed tu qui moderationem & conniventiam eo laudas & requiris, ut omnium hæreticorum ac Schismaticorum una sit componenda communio, cur taces de illa conniventia Legatorum Sedis Apostolicæ ad Aca-

(1) Fleury ibid. §. 35. & 43.
(2) Cælestin. Pap. ad Nestor. epist. 13. cap. 4.
(3) Bossuet.Memor.sur la Bibliot.di Dupin. cap.2. Observ.10.

Acacium, Vitalis & Miseni, qui e custodia producti, Constantinopoli cum Acacio & Petro Moggo communicarunt? Quid taces? Siquidem non taceres, nisi scires falsam illam moderationem, & culpabilem conniventiam, veluti prævaricationem ac perditæ fidei crimen damnatum fuisse ab universa Ecclesia, & præ ceteris a Constantinopolitana plebe orthodoxa, & ab episcopis Ægyptiis, Dardanis, Illyricis, Africanis, Italis, Gallis, & Hispanis. Inter quos omnes erant permulti doctrina & sanctitate conspicui, ac præsertim in Italia, Gallia, & Africa (1). Verum sanctos non curas, nisi si qui sint judicio tuo, qui faveant hæreticis atque schismaticis. Itaque dum tantam sollicitudinem ostendis, ut nomen Acacii, qui una cum hæreticis persequebatur Catholicos, in diptychis Ecclesiæ tranquillissime remaneret inscriptum, tu ex albo sanctorum, quos universa colit Ecclesia, expunxisti veneranda nomina Romanorum Pontificum Gelasii, Symmachi, & Hormisdæ, qui non solum a te sancti nunquam dicuntur, sed contra per summam injuriam describuntur quemadmodum destituti spiritu Ecclesiæ, ita libidine dominandi in Cleris, pertinacia, duritie, superbia, supercilio, aliisque criminibus inquinati.

XVII. Verum enimvero clamant contra te omnes Catholici Scriptores, & clamat Ecclesia Universa. Audi Tillemontium „ Durant que Simplice travailloit „ pour la paix de l'Eglise, Acace achevoit de la ruiner, en pretendant unir J. C. avec Belial „ (2). Et Natalis Alexander „ vides, ait, summam Sedis Apostolicæ erga Acacium patientiam & mansuetudinem, „ in quem statim non animadvertit, sed variis per „ triennium commonuit literis, ut ab hæreticorum „ com-

(1) Vid. Tillem. in Acac. Artic. 34. 35. 36. 37. & 38.
(2) Tillem. in Acac. artic. 24.

„ communione recederet; deinde missa legatione ad
„ officium revocare studuit. Vides Acacii contuma-
„ ciam, qui nec Romanum Pontificem suis responsis
„ dignatus est, *nec ad Sedis Apostolicæ tribunal cano-*
„ *nice vocatus* sistere se voluit, aut saltem per Lega-
„ tos respondere. Vides Acacium communionis ini-
„ tæ cum hæreticis manifestis convictum reum, & vio-
„ latæ Legationis Apostolicæ. Vides Romanos Ponti-
„ fices Acacium damnantes Synodi Chalcedonensis
„ constituta, quibus non Eutyches tantum & Diosco-
„ rus, sed & eorum sectatores, & sectatorum commu-
„ nicatores fautoresque damnati sunt, executioni man-
„ dasse *pro jure & officio Primatus*. Æquissimam igi-
„ tur Pontificum Romanorum in Acacium sententiam
„ nemo non dixerit (1). Hæc Natalis Alexander, qui
totus est in Acacio ab hæresi purgando.

XVIII. Sed tu eo longius progrederis, ut ab omni veluti crimine & reatu Acacium excusare videris; contra vero iniquissime damnas Romanos Pontifices firmiter urgentes, ut ipsius nomen eraderetur e diptychis. Summa tamen injuria; nam quum Acacii depositio sit omnibus justissima, quomodo ergo nomen ipsius retinendum erat in diptychis, tanquam fuisset injuste depositus? Et quomodo inter Constantinopolitanos Episcopos habendus erat æque ac in pace & communione obivisset Ecclesiæ? Qui ergo tantam moderationem prædicas & conniventiam erga hæresim & hæreticos, ut unius Acacii nominis caussa existimes, Romanos suam durius negasse communionem Orientalibus, audi Sanctum Gelasium Papam de nomine illius, ac de Petro Moggo loquentem. „ Cur ergo per Petri
„ & Acacii nomina rursus inimica sepes intexitur,
„ quam

(1) Natal. Alex. Hist. Eccles. Sæcul. 5. Diss. 19. Vid. Liberat. in Breviar. cap. 17. & 18.

„ quam ſemel Chriſti crux, mors, & ſanguis deſtru-
„ xit, ſolvit, & evertit? Non ergo dividat eos inter-
„ poſitum Petri & Acacii nomen, quos tanti mediato-
„ ris pretioſus ſanguis univit „ (1). Cur ergo tam vehementer diſplicet in Romanis Pontificibus, & in Eccleſia Occidentali univerſa, quod non diſplicet in Orientalibus? Cur priores damnas, qui cauſſam totius Eccleſiæ, & tot epiſcoporum atque Patriarcharum, pro fide pugnantium agebant, contra vero extollis ſpiritum ac virtutem Orientalium, qui vel hæretici erant, vel defenſores hæreticorum?

XIX. Dolet quod Romani Pontifices puriorem fidem & diſciplinam Eccleſię, onere & officio Primatus vindicaverint, & non dolet quod Orientales ſcindere maluerint Eccleſiam, quam impiorum hominum nomina a diptychis eradere? Non ne manifeſte patet Orientalium magis retuliſſe nomina hæreticorum, quam Romana communio, & unitas Eccleſiæ Univerſæ? Non ergo Romanorum Pontificum durities mala graviſſima in Oriente peperit, quæ firmitas Apoſtolica ſanavit. Mala quidem peperit, non Romanorum ſævitia, ut clamitas, ſed nonnullorum Epiſcoporum, atque Imperatorum Orientalium perfidia, quibus defuit omnino Spiritus Eccleſiæ.

XX. Quamobrem Orientalis Eccleſiæ apologiam fruſtra contra Romanam fingis & Occidentalem; nam alteri cupiens per fas nefaſque ſervire, ut alteram deprimas, revera damnas utramque, & Eccleſiæ Univerſæ notam inuris infamiæ. De Romana enim aſſeris, quod durante ſchiſmate Acaciano, ſpiritus Chriſti non ſe prodiderit in ipſa, quandoquidem acriter illa contendens, ut e diptychis eraderetur nomen Acacii, plena fuit ſęvitia, ſuperbia, duritie, & ſupercilio. Contra

(1) Gelaſ. Pap. Tractat. ſeu epiſt. 14. Concil. tom. 4. col. 1216.

tra vero affirmas Orientalem pro Acacio fortiter pugnantem, ſpiritum habuiſſe qui defuit Occidentali; quoniam plena extitit fortitudine, conniventia, & moderatione erga hęreſim & hæreticos. Verum poſt annos ſex & triginta a ſchiſmate incœpto, moderatio iſta ceſſavit, cum prævaluerit Eccleſia Romana, quę legem impoſuit Orientalibus, & pacis conditiones præſcripſit. Illis enim probatis, eraſoque nomine Acacii aliorumque, pax firmata fuit inter utramque eccleſiam, atque ſchiſma extinctum. Itaque non a ſolis Romanis & Occidentalibus, ſed ab Orientalibus etiam comprobata fuerunt omnia, quæ a ſummis Pontificibus peracta fuerant contra Acacium (1). Ideoque ſi vera eſſent quæ nugaris, ſpiritus Chriſti qui primum defuit Romanæ, poſtea defuiſſet etiam Orientalibus, & Eccleſiæ Univerſæ.

XXI. ,, Confirmantur hæc omnia (ait Natalis Ale-
,, xander) ex conſenſu Conſtantinopolitanæ, & totius
,, Orientalis Eccleſiæ, quæ ſententiæ a Romanis Pon-
,, tificibus in Acacium latæ tandem ſubſcripſit, & li-
,, bello quem Legati Hormiſdæ Pontificis Romani offe-
,, rebant, cum pax inter utramque eccleſiam conciliata
,, eſt. Joanni autem Conſtantinopolitano, & aliis epiſ-
,, copis qui memorato libello ſubſcripſere, perſuaſum
,, erat Acacium ea omnia admiſiſſe crimina, propter
,, quæ ſententiam in eum tulerat Apoſtolica Sedes...
,, Ex his colligitur Eccleſiam Orientalem agnoviſſe
,, tandem, ſententiam a Romanis Pontificibus latam
,, adverſus Acacium æquiſſimam eſſe, ipſumque dam-
,, naſſe poſt mortem, ac nomen illius expunxiſſe ex
,, diptychis ,, (2).

XXII. Optima ergo ſunt blandimenta, optima eſt dul-

(1) Vid. Tillem. in Acac. Artic. 38.
(2) Natal. Alex. Diſſ. citat.

dulcedo, optima conniventia & moderatio, quæ tamen non desinat in hæresis & hæreticorum assentationem; & ubi non periclitetur Fides, aut purior disciplina, honor Christi & Ecclesiæ. Si te hæreticorum patronum & advocatum præbes, habeant hæretici, habeant schismatici; sed, quod Deus avertat, te non habeant Catholici, licet te esse catholicum glorieris. Inter Romanos Pontifices qui, durante schismate Acacii, doctrina & sanctitate claruerunt, si tuæ dicacitati fides habeatur, spiritum exhibuit Ecclesiæ unus Anastasius Secundus, quoniam *voluit occulte revocare Acacium & non potuit*. Attamen dum fingis unum Anastasium laudare, suamque moderationem extollere, revera deprimis eumdem, hæreticorum & schismaticorum calumniis, quas libentissime adoptas. Lege Severinum Binium in adnotationibus ad vitam Anastasii, quæ habetur apud sæpenumero errantem Pontificalis libri auctorem. Reperies igitur beatissimum illum Pontificem eo modo calumnia exagitatum fuisse a sectatoribus schismatis Laurentiani; ac proinde falsissimum esse quidquid ipsi vulgarunt de restitutione Acacii. Nam si Liber Pontificalis intelligatur de restitutione personæ, Acacius jam diem objerat supremum, antequam Anastasius ad Sedem Petri fuisset assumptus; si vero de restitutione nominis, falsum tribuis Bibliothecario, veluti scriptum reliquisset *Anastasium Papam paratissimum fuisse nomen Acacii restituere*, cum auctor ille nihil aliud afferat præter hoc = *quia occulte voluit revocare Acacium, & non potuit. Qui nutu Divino percussus est.*

XXIII. Nugas tamen esse patet ex epistola ipsius Pontificis ad Anastasium Augustum, quum sic alloquitur de Acacio „ Precamur itaque clementiam vestram, „ ut specialiter nomen taceatur Acacii, ut quod mul„ tis ex caussis scandalum vel offendiculum Ecclesiæ „ concitavit, speciali appellatione taceatur... Quan-

„ tos

„ tos vero excessus atque præsumptiones habuerit Acacius, ne clementiæ tuæ suggerere per singula fortasse videatur onerosum, Cresconio, vel etiam Germano, fratribus & coepiscopis meis, quos misimus ad serenitatem tuam, de caussis singulis Acacii qualis fuerit, instructionem plenissimam dedimus, clementiæ vestrę specialius recensendam, si hoc pietati tuæ placuerit curiosius indagare, ne in aliquo suggestionibus nostris veritas defuisse videatur: ut pro divina sapientia vestra perspicue videre possitis, *non superbia vel elatione Sedis Apostolicæ* in Acacium talem processisse sententiam, sed facinoribus certis &c. (1)

XXIV. Hæc Anastasius Secundus, cujus moderationem laudas exquisitissimis verbis. Merito quidem, sed non absque injuria & mendacio. Etenim mentiris cum asseris Anastasium decessorum suorum duritiem, quę durities non erat, damnasse, propterea quod censuerit durius ipsos egisse cum Acacio. Nam quod tu studium pacis, & moderationem vocas in Anastasio, minus perverse perfidiam appellant Maddeburgenses, Tilmannus Heshusius, aliique hæretici; (2) quoniam magis perfidiam quam moderationem redolent quæ post ipsos ex Bibliothecario imperite depromis. Eadem enim esset ac illa, quæ ab Ecclesia universa uti vera perfidia fuerat prius damnata in Vitale & Miseno Legatis Sedis Apostolicæ ad eumdem Acacium.

XXV. Sed de Anastasio satis. Nunc vero dicamus de Euphemio, & de Macedonio, quorum uterque unus post alium in Episcopatum Constantinopolitanum successerunt Acacio. Multa quidem mentiris de ipsis; nam Roma-

(1) Anastas. Pap. II. ad Anastas. Imper. epist. 1. cap. 3. & 8.

(2) Vid. Bellarm. de Roman. Pontif. lib. 4. c. 10. Binium in Vit. Anastas. Pap. Concil. tom. 4. Natal. Alex. Hist. Eccles. Saecul. 5. Synops. cap. 1. artic. 11. de Anastas.

Romani Pontifices non ſolum eos non excommunicarunt, verum etiam admiſerunt ad ſuam communionem uti vere catholicos, quamquam non admiſerint veluti Epiſcopos Conſtantinopolitanos, & negaverint publicam Epiſcopalem communionem, niſi prius e diptychis eraderent nomen Acacii (1), Horum enim teſtem habemus Theophanem, qui ulterius affirmat Euphemium in Diptychis repoſuiſſe nomen Papæ Felicis; hunc vero Synodicam recepiſſe Euphemii, & cum illo fuiſſe benevolentia conjunctum, uti cum Orthodoxo (2). Sed lege quæ de Synodo ab ipſo Euphemio celebrata, habentur ex Libello Synodico. Sunt enim in promptu. „ Acacio autem, & qui ei ſucceſſerat „ Flavita morte ſublatis, Euphemius Sanctiſſimus in „ ſolium Conſtantinopolitanum inducitur: qui Divi„ nam & ſanctam convocans Synodum, Chalcedonen„ ſem Synodum confirmavit, & acta Synodi Papæ „ tranſmiſit: quem Felix, & occidentales Archiepi„ ſcopi, ***ut Orthodoxum quidem virum receperunt*** : „ ***non tamen ut epiſcopum*** : propterea quod Acacii a „ Felice anathemate notati nomen e ſacris tabulis non „ deleviſſet „ (3).

XXVI. Quamobrem Natalis Alexander ſpeciali diſſertatione gravius & verius demonſtrat, Euphemium & Macedonium neque hæreticos, neque ſchiſmaticos unquam fuiſſe; & rurſus „ inter Orientalem Eccle„ ſiam, & Occidentalem, Euphemii & Macedonii „ Epiſcoporum tempore, & ſub Gelaſii, Anaſtaſii, „ Symmachi, & Hormiſdæ pontificatu ſuſpenſa po„ tius, quam abrupta penitus erat communio. Aliam „ enim longe rationem eſſe Acacii ſignificarunt lauda„ ti

(1) Fleury lib.30. §.21.

(2) Vid. Tillem. in Acac. artic. 55.

(3) Vid. Concil. Lab. tom. 4. col. 1054.

„ ti pontifices, ac Euphemii & Macedonii. Illum „ enim anathemate configi; horum vero nomina ex „ Diptychis dumtaxat expungi voluere. Quod argu„ mentum est, Acacium quidem schismaticorum pœ„ na plexum fuisse, Euphemium vero & Macedonium „ ejus successores, a communione Catholica non fuis„ se segregatos „ (1).

XXVII. Quare sanctus Hormisdas, etiamsi inter conditiones pacis, & suæ reddendæ communionis voluerit, ut ex diptychis expungerentur nomina eorum, & fuerint revera expuncta; tamen post ejusmodi satisfactionem datam Ecclesiæ, non solum passus est ut a Joanne Patriarcha orthodoxo, iterum in diptychis reponerentur, verum etiam curavit, ut cum esset adhuc in vivis, ad Sedem Constantinopolitanam revocaretur Macedonius, in odium Fidei Chalcedonensis pulsus in exilium ab Imperatore Anastasio, qui a te per summam veritatis injuriam contra sanctissimum Papam laudatur, tanquam zelaret schismatis extinctionem qui omni modo schisma fovebat (2). Noli ergo confundere communionem Catholicam cum Hierarchica & Episcopali; nam Romani Pontifices priorem illam nunquam negarunt Euphemio & Macedonio, quamquam negaverint aliquando posteriorem; cum suam noluerint præstare episcopatus confirmationem, nisi prius eraderent e diptychis profanum nomen Acacii, qui vita decesserat impœnitens, & anathematis fulmine *canonice* percussus. Sed posterior ista communionis privatio, ut optime observat Natalis Alexander, non aliud præseferebat, quam *appendices ecclesiasticæ communionis*; *nimirum epistolas formatas & Synodicas*, *Legatorum Missionem*, *diptycorum honorem*

(1) Natal. Alex. Sæcul. 5. Differ. 20.

(2) Vid. Tillem. in S. Maced. artic. 15. & Not. 6. fur Euphem.

rem &c. Itaque non sunt revera excommunicati qui a diptychis expunguntur, nisi sententia excommunicationis ab Ecclesia lata nominatim confingantur aut generalibus verbis significentur (1).

XXVIII. Qua ergo fronte affirmas tu, sanctissimos viros Sabam, Theodorum, & Danielem Stilitam *præ ceteris* ab omni genere communionis, per excommunicationis sententiam fuisse a Romano Pontifice segregatos? Cum, schismate durante, servaverint ipsi pristinam Fidei Catholicæ simplicitatem, quin miscerentur in Acacianis turbis, ac ullam sumerent partem in istiusmodi negotio; imo vero Fidem Chalcedonensem omni conatu defenderent vel contra Basiliscum, vel contra Anastasium Imperatorem? Ex quo factum est ut Romani Pontifices, in tota illa cum Acacianis controversia, nullam fecerint de ipsis mentionem. Fecerunt tamen de Elia Hierosolymitano, & de Flaviano Antiocheno. Olim enim postulabat sanctus Hormisdas ut Orientales eorum nomina eraderent e sacris diptychis; sed jure non injuria poscebat. Nam Elias & Flavianus in Synodico Conciliabulo tantam conniventiam Anastasio Imperatori exhibuerunt,ut in gratiam ipsius Concilium Chalcedonense aliquo modo respuerint, cum non plene receperint, & apertissimis Eutychianis palam communicaverint. Atque inde evenit, ut Flavianus excommunicatus fuerit ab ipso Macedonio Constantinopolitano, æque ac fuerat olim Acacius excommunicatus a Romanis Pontificibus. Cur ergo Macedonium defendis contra Romanos, non vero Flavianum contra Macedonium?

XXIX. Verum quidem est tam Flavianum quam Eliam postea resipuisse, ac tantam egisse pœnitentiam, ut Deus exinde glorificaverit eorum sanctitatem. Sed quis

(1) Natal. Alex. Sæc. 5. Diss. 20. cit.

quis damnare merito poteſt prudentiæ leges,quas Hormiſdas adhibuit in abraſione eorum nominum tentanda, cum neſcius reſipiſcentiæ, interpoſitione quarumdam Orientalium Eccleſiarum certior factus de quolibet crimine per pœnitentiam ab Elia & Flaviano expiato, ac ipſorum ſanctitate comperta, deſtiterit a propoſito, ac libentiſſime ſuam impertiverit communionem Orientalibus?(1). Verum cum ſoleas tu veneno infundere actionibus etiam ſanctiſſimis Romanorum Pontificum, lege epiſtolas, quas Sanctus Hormiſdas plurimas ſcripſit de hujuſmodi negotio, & tanta charitate, ſanctitate, moderatione, atque dulcedine præditum reperies, quanta injuria, atque temeritate auſus es eum damnare de imprudentia, pertinacia, duritie, & ſupercilio. Hinc eſt quod nonniſi per calumniam affirmare potes, inſtaſſe Hormiſdam ut vi ac pœnis in illos Orientales animadverteret Auguſtus; & nonniſi coactum Orientalium invincibili reſiſtentia, Imperatoris Juſtini ſollicitudine, & Epiphanii Conſtantinopolitani ſapientia, ſanctiſſimum illum pontificem pacem Orientalibus tandem aliquando dediſſe.

XXX. „ Reſcripſerat quidem Juſtino Auguſto ipſum „ adhortans, ne aliquorum obſtinatio redderet a pro- „ poſito pigriorem. *Durum enim videbatur, ſi effica-* „ *cior eſſet eorum pertinacia, qui dividerent pacem,* „ *quam firmitas eorum qui aſſererent unitatem*. Sed „ quamquam (ait ipſe) his urgemur anguſtiis, tamen „ propter manſuetudis tuæ conſiderationem, & vene- „ rabilium Legatorum Joannis epiſcopi, Heracliani „ presbyteri, & Conſtantini diaconi, allegatio nos „ non inhumana permovit, qui innocentibus aut igna- „ ris cauſſæ remedia credidit eſſe poſcenda: ad fra- „ trem & coepiſcopum noſtrum Epiphanium ſcripta „ tranſ-

(1) Tillem. ſur Saint Macedon. Articl. 18. & 19.

„ transmisimus, *ut memor fidei, memor religionis*, quos
„ dignos susceptione esse crediderit, & alienos a com-
„ munione quam respuimus, sicut asseritur, innocen-
„ tes eos ad societatem suæ communionis admittat,
„ libelli tamen, qui a nobis interpositus est tenore ser-
„ vato. Melius est enim, & magis Deo placitum, si
„ *salva fide ecclesiastico corpori jungantur abscissi*, quam
„ in abscissos transeant, qui in Beati Petri immacula-
„ ta communione manserunt „ (1).

XXXI. Hæc Sanctus Hormisdas, quibus perlate patet nequaquam institisse virum sapientissimum, ut in prædictas Orientales ecclesias, vi ac pœnis animadverteret Justinus, sed quum deploraverit aliquorum obstinationem & pertinaciam, quibus placebat magis stare *cum mortuis, quam inhærere cum vivis*, preces petentium communionem remisit arbitrio & prudentiæ Epiphanii, quem, Sedis Apostolicæ Legatis Romam reversis, judicem petitionis constituit. Res tota sine ulla contentione composita fuit, unica epistola Imperatoris & Epiphanii ad Hormisdam, & prima Pontificis responsione ad eosdem. Quid igitur ob id calumniaris Sanctum Hormisdam uti reum de pertinacia & duritie? Memento, mi carissime, quia *Testis mendax peribit* (2), & quia *odit Dominus proferentem mendacia* (3). Rogo ut me habeas addictissimum tibi. Vale.

(1) Hormisd. Pap. epist. 78. ad Justin. August. Concil. tom. 4. col. 1549.

(2) Proverb. cap. 21. v. 28.

(3) Ibid. cap. 6. v. 16. & 19.